

**Glauber, Johann Rudolph. Tractatus de medicina universali, sive auro potabili vero, hoc est, accurata descriptio veræ medicinæ universalis, ejusque admirabilis efficaciam & virtutis, quas in vegetabilia, animalia & mineralia exercet. Cæco huic mundo, instar luminis claro splendore lucentis, obscuras sophisticationes cognoscendi, & à veritate dignosendi rationem ob oculos ponens, & omnes agros desertos consolandi, & extremo auxilio adjuvendi gratiâ, descripta à Johan. Rudolph. Glaubero.**

*Amstelodami, Apud Joannem Janssonium. M DC LVIII., 1658.*

*Cote : BIU Santé Pharmacie 11103 (2)*

TRACTATUS (2)  
DE  
M E D I C I N A  
UNIVERSALI,

S I V E  
AURO POTABILI VERO,

HOC EST,


Accurata Descriptio veræ Medi-  
cinæ Universalis, ejusque admirabilis  
efficaciæ & virtutis, quas in Vegetabi-  
lia, Animalia & Mineralia  
exercet.

*Cæco huic Mundo, instar Luminis claro splen-  
dore lucentis, obscuras sophisticationes cognoscendi,  
& à veritate dignoscendi rationem ob oculos ponens,  
& omnes agros desertos consolandi, & extremo  
auxilio adjuvandi gratiâ, de-  
scripta à*

JOHAN. RUDOLPH. GLAUBERO.



AMSTELDAMI,  
Apud JOANNEM JANSSONIUM.  
C13 13 C LVIII.



# P R Æ F A T I O .

**H**isce certior redderis, Benevole Lector, hanc de *Vniuersali Medicinâ*, sive *Auro Potabili* dissertationem libello, cui *Continuatio Miraculi Mundi* titulus, adjungendam fuisse. Quominus autem illud factum sit, temporis angustias impedimento fuisse Typographo, obstaculis nonnullis coactô, & *Autumnalibus Nundinis Francofurtensibus* ingruentibus obruto, ut, hoc omisso Processu, in *Miraculi Mundi Continuatio*ne exhibuerit tantum tres illos, quorum primus agricolas, & vinearum cultores, sine pecudum fimo, sterilia, & requisita pinguedine destituta sua rura pinguefaciendi modum & rationem docet: Alter viam monstrat Mercatoribus, ut aurum & argentum suum sine fœnore, & proximi incommodo in adibus suis tutò & honestè augere queant: Tertius verò Medicis integrâ fide præditis monstrat, quo pacto facili, & exiguo labore, paucisque sumptibus ejusmodi medicamenta comparent, quibus, instar Samaritani misericordis, egrorum doloribus, & morbis mederi possint.

Hos tres Processus typis mandatos in lucem emisit. Quartum de *Vniuersali Medicina Magnatibus* bonam valetudinem conseruan-

P R A E F A T I O .

di, aut eam amissam recuperandi gratiâ à me  
dicatum & donatum, ob causas dictas omisit.  
Eum hoc libello publici juris facere consultum  
mibi visum fuit, quod ut Benevolus Lector  
in bonam partem interpretetur, & equi bo-  
nique consulat, amicè rogo. Quæ autem  
summa hujus Medicina usum concernentia  
nimis breviter hîc dicta erunt, accuratiore  
illustratione enucleata exhibebit libellus, qui  
de præcipuorum Medicamentorum meorum  
usu, propediem, Deo dante, lucem vide-  
bit, quod Lectorem Benevolum, celare non  
volui.



M U.

## MUNUS EXHIBITUM

Omnibus

## MAGNATIBUS

*Conservandæ valetudinis & vitæ longæ ac-  
quirendæ studiosis, nimirum*

## MEDICINA UNIVERSALIS,

SIVE

## AURUM POTABILE

VERUM.



Osteaquam Divino Auxilio mihi opem ferente in Miraculi Mundi Continuatione tres excellentes Processus descripsi, ac diversorum Ordinum homines iisdem donavi, ut de victu & amictu sibi facilius, & conscientiam tutiore prospicere queant; Etiam Magnatibus, & potentiam, ac authoritate inelytis hominibus, quos ex memoria non deposui, munusculum aliquod offerre volui, diu conservandæ valetudini bonæ, & eidem amissæ recuperandæ inserviens.

Etenim Magnatum, & in potentia ac auctoritatis gradu locatorum hominum maximè interest, ut incolumi valetudine corporis fruentes subditis sibi à Deo concreditæ sapienter imperent, & in bonis defendendis, ac malis puniendis

A 3

mentem

mentem sanam adhibeant. Mens verò sana post gratiam Divinam in sano corpore habitans ex corde & cerebro sanis prodit, & prodire debet. Fieri autem non potest, ut sine valetudine bonâ Rectio Publica rectè, & probè administretur, id quod luce meridianâ clarius & apertius patet.

Cum igitur omnium regnorum, & rerumpublicarum incolumitas & salus in prudentia Rectorum & Magistratum sitæ sint, & eorundem imprudentia & ignorantia ad interitum subditos præcipites agere soleant, summa ope provideatur par est, ut totius Regni, aut Regionis caput sanum, integrum, lætum, prudens, & ingeniosum existat, & morbis, tristitiâ, pigritiâ, stupiditateque ad rectionem ineptum non reddatur. Ideò proximi mei amore motus nec volui, nec potui, quin hanc Universalem Medicinam ad sanæ, & bonæ rectionis felicitatem perpetuam plurimum conferentem in Magnatum gratiam scriptis mandarem.

Nam sine corporis incolumitate, & constitutione sanâ nemo integer homo appellari potest. Quid commodi æger sibi aut aliis affert? Nihil sanè; imò sibi & aliis obest, & damnum infert. Ægro capiti semper multa sana membra inserviant oportet. Sanum verò caput totius corporis rectionem felici administratione exsequitur. Quid homini ægritudinibus & doloribus devexato profunt amplissimæ suæ facultates & divitiæ, quibus nec uti nec frui potest, easdem cum  
tædio

tædio adspiciens , & tandem cum dolore relinquens ? Sanum corpus profectò omnibus hujus mundi thesauris longè antefendum esse quis negat ? Ille felicissimus prædicandus , qui bonam valetudinem & divitias , dona duo Dei maxima , conjuncta possidet. Ægritudo & paupertas ipsa morte pejores , & deteriores censendæ sunt.

Nonnunquam pios magistratus , & rectores ab exiguis morbis abripi & exstingui cernimus , qui sanè plures adhuc annos subditis suis præesse potuissent , si medicamenta bona in promptu fuissent , quorum ope ipsis succurri potuisset.

Sed plurimorum hominum ea est indoles , eaque natura , ut caduca bona plærumque , vitæ sanæ & incolumi , vitamque sanam & incolumem salutis æternæ præferant. Hinc pauci bonorum medicamentorum studiosi somniculosam , & securam vitam degunt , donec mors ipsos abreptura adest : Quo tempore demum experiuntur , quam incomparabile donum Dei sit corporis sanitas , & quam amara peccatorum pœna sit ejusdem ægritudo. Verum enimverò sapius nimis fera , de neglecta & amissa valetudine bona cogitatio suscipitur ab iis , qui cum hæc , quæ diximus , animadvertere incipiunt , nolentes volentes morti cedere vitam suam coguntur.

Itaque par est , ut quisque in florentis ætatis gradu versans doloribus oneratam senectutem,



ægritudinem, ac mortem recordetur, ac tempe-  
stivè remediis iis inhiet, quæ à Deo ad morbo-  
rum, & dolorum mitigationem & amolitionem  
destinata sunt. Sicut avis cavæ inclusa facili  
negotio custodiri, sed difficulter recipi potest,  
postquam evasit: Ità & valetudo bona facilè  
conservari, semel amissa ægrè admodum recupe-  
rari solet. Sera sanè in fundo parsimonia est.  
Intercè tamen animus non abjiciendus, sed pre-  
cibus remissionem peccatorum petentibus ad  
Deum Creatorem confugiendum, ac postea le-  
gitimo usu adhibenda sunt ea media, quæ Divi-  
næ benignitatis largitas subministravit. Nam si  
preces seriæ præverint, & medicamenta adhibi-  
ta bona fuerint, fieri non potest, quin subse-  
quuturæ valetudini exoptatæ morbus cessurus sit.  
Medicamini aliquid boni operaturo Divina be-  
nedictio adsit necesse est. Voluntate Divina de-  
stitutas actiones nostras omnes succèssu sperato  
carere certum est, & extra omnem dubitatio-  
nem positum. Sine Dei permissione nihil fit,  
sive bonum illud sit, sive malum. Bonis omnia  
sunt bona, licet imperitis mala videantur, è  
quod bonis omnia in bonum cedant. E contra-  
rio malis omnia sunt mala, quamvis à cæco  
mundo bona judicentur. Temporalis, & mun-  
dana ipsorum felicitas, amplissimæ divitiæ, gran-  
dis splendor, & potens autoritas sine pietate  
ignis vires sustinere nequeunt, sed in fumum  
abeunt, & ut vanissima vanitas evanescent. Ni-  
hil

hil constantius, nihil stabilius, nihil melius est pietate, probitate, virtute, & actionibus pietati congruis: Cætera omnia caduca & vana sunt. Nihil igitur pietate, virtute, & bona corporis sui valetudine prius antiquiusque habere debet unusquisque, sive summus, sive imus fuerit, sive amplissimas facultates possederit, sive ad incitas redactus Irum paupertate superaverit. Quo pacto autem Deo timore ac honore debito, & omni hypocrisi ac fallacia carente inserviendum sit, Sacræ Literæ in Veteri & Novo Testamento docent. Bonam valetudinem conservandi, & amissam recuperandi viam exactissimè monstrat exiguus hic libellus, quem omnibus iis commendo, qui conservandæ suæ valetudinis bonæ desiderio tenentur.

D E  
M E D I C I N A  
U N I V E R S A L I,  
S I V E  
A U R O P O T A B I L I.

**M**edicamentum, quod Universalis Medicinæ titulo honoratur, ita comparatum sit oportet, ut universaliter in tria Regna, Vegetabile puta, Animale, & Minerale vires suas exercendo, unicuique, ut summa Medicina, succurrere possit. Quodcunque

A 5                      vero

vero tanta efficacia non pollet, eidem tanto nomine indigno etiam falsò idem titulus conceditur.

Itaque mihi in hoc libello de tali Medicina Universalis acturo in primis incumbit, ut re ipsa demonstrarem, eandem hoc titulo gaudentem etiam virtutes & proprietates illas ipsas possidere, quibus Universalis Medicina pollere debet. Non autem solummodo Universalis ejusmodi Medicina Universaliter tribus illis regnis, Vegetabili scilicet, Animalis, & Minerali amicissima auxiliatrix existat oportet, verum etiam necessarium est, ut ex omnibus illis tribus regnis, Vegetabili videlicet, Animalis, & Minerali, & quidem unoquoque sigillatim absque ullius peregrinæ rei additione, ac sine magno labore, in pauperum æquè ac divitum utilitatem, & commodum, parari possit. Errorem igitur magnum committunt, qui eâ opinione stultâ imbuti sunt, quod Universalis Medicinæ materia hic aut alibi producta ex hac aut illa regione ingenti labore, & magno sumptu petenda sit. Opinio hæc δὲ Ἀγὴ παροῶν dissidet à communi sententiâ Philosophorum omnium verorum, unanimi consensu fatentium, materiam suam ubique locorum reperiri, & unicuique suppetentem, in pauperum æquè ac divitum possessione versari; id quod profecto adeò aperte dictum est, ut nihil apertius dici queat. Verum enimverò cum Cimmeriis tenebris immerfus Mundus nasutus superbâ suâ  
subti-

subtilitate nec assequi nec credere possit, quod in contemptis ac abjectis rebus boni quid lateat, nasutis suis ingeniis nimis alta petentes margaritas antè oculos sitas omittunt, ac filiquis, & corticibus vacuis inhiant. Undè non absque ratione Philosophi Veri dicunt, Neminem fore, qui Materiam ipsorum in pretio habiturus esset, si proprio suo nomine appellaretur. Hâc igitur occasione moti eam tot ac tam variis ænigmatibus involutam obscurarunt, nec secundum litteram, quicquid scripserunt, intelligi volunt. Sendivogius sæpius se nonnullis de verbo ad verbum artem revelasse fatetur, quibus tamen incredulis, & nimis alta sapientibus verisimile fieri non potuit, quod margarita adeò pretiosa in subjecto adeò contempto absconditum latitet. Imò & hoc adjungit, Artem & Materiam Universalem manu facilius palpari, quàm ingenio excogitari & inveniri posse. Ego autem assero, Artem hanc Vegetabilem, Animalem & Mineralem esse, nullumque in mundo hominem inveniri, qui hujus Universalis Materiæ cognitionem non habeat, eademque non utatur; Imò & infantem recens natum absque eâ vivere non posse affirmo. In plurimis meorum scriptorum hæctenus editorum locis accuratè jam demonstravi, quod Nitrum in omnibus totius mundi rebus, atque ità non solum in omnibus Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus, sed in ipsis etiam Elementis, terrâ nimirum, aquâ, aëre & igne reperiatur, eâque de  
causâ

causâ *Universalis Materia* jure ac meritò appellari possit ac debeat. Quippe sine Elementis nemo vivere potest. Cuius hoc credere, aut non credere per me licebit, & integrum erit. Quæ dicta sunt, dicta sunt; pluribus non opus est; Hæc pauca de *Universali Materia* sufficiant.

Præparationem in plurimis opusculorum meorum locis satis aperte tractavi, & demonstravi; præsertim verò in *Miraculo Mundi*, & cæteris ad illud scriptum pertinentibus. Ideò plurimum verborum ambitu, prolixioreque declaratione superfedo.

Hoc tamen hic adjungo, & fateor, licet aliquoties *Universalem* illam Medicinam paraverim, non tamen semper illius præparationem voto meo respondisse, eamque nunquam à me ad summam perfectionem & fixationem deductam esse, eò quod & tempus occasioque mihi defuerint, & plura alia impedimenta obstiterint, quominus voti compos fieri potuerim. Quousque autem ejusdem præparatione pervenerim, & quod adhuc tridui spatio eandem absolvere possim, ac quid ejusdem auxilio hætenus præstiterim, & adhuc præstare queam, posteritatis æternæ memoriæ consecrabo, & ejus docendæ ac instituendæ causâ neutiquam reticebo; Eum in finem hoc facturum, ut *Omnipotentia*, & *Benignitas Divina* tantò magis innotescat, *Nomen Divinum* majori honore afficiatur, & multis ægrorum millibus præsentissimo auxilio succurratur.

Unica

Unica hæc causa ad hanc de Universali Medicinâ dissertationem me instigavit. Ejus enim reticentia conscientiam meam gravare, & nobilissimum ejusmodi donum, talentumque à clementissimâ Benignitate Divinâ mihi concessum abscondere, & in sepulchrum mecum auferre nec volui, nec debui.

Ne quis autem sibi persuadeat, quod phaleratis verbis, aut aureorum montium pollicitationibus ejusdem præparatione me emuncturus sit, ut ad vitam in voluptatibus, superbiâ, & impietate degendam ejus usum adhibeat, & miserum genus humanum damno afficiat. Me enim hoc nunquam facturum velim sciat, cum donum tantum, non hominis, sed solius Dei, revelare cuivis, penes me situm non sit, ac ipse potius mortem subire, quàm illud impio homini revelando prostituere malim. Porrò non est cur quisquam putet, cum Medicinam hanc meam Universalem appellem, quod ejusdem ope metalla imperfecta in aurum transmutari, & magnorum thesaurorum copia corradi queat, id quod Philosophi suæ Medicinæ Universali attribuunt. Talem enim transmutationem hætenus ignoro, nec scire cupio, nec eidem inhio, Deo soli maximas gratias agens pro illa Medicina, quâ ipsius Benignitate mihi concessâ, miseris, ægrotis, morborum doloribus lancinatis, & cruciatis succurrere, & Divinam Gloriam ac Benignitatem celebrare possum. Lubens etiam confiteor, me quoad  
me-

metallorum emendationem ne minimum quidem ex ea fructum hactenus cepisse, nec ullum etiam commodum quærere, contentum Medicinâ illâ eò deducta, ut mihi ad victum & amictum, Deo dante, comparandum sufficere queat. Divitiarum affluentiam non appeto, ac illud solummodo Deum precor, ut nec rerum penuriâ & paupertate me affligat, nec nimiam satietatem mihi largiatur, ne superbia elatus dicam: *Quis est Dominus?* Imò si medicina hac in metallicis magnam mihi utilitatem parere possem, tamen id facturum, & tantum Dei donum temporalibus rebus impensurus non essem, ut miseris ægris, in quorum gratiam à Deo datum est, illud subtraherem, & eodem illos spoliarem.

Forsan usvenire posset, ut hæc mea Medicina scrutatorum diligentum opera eò deducatur, ut in minora & imperfectiora metalla emendatione & correctione fructuosâ potestatem suam exercere queat; Sed hoc in sua voluntate solâ situm Deus sibi reservat, cujus gratiam patienti expectatione præstolemur oportet. Interea integrum nobis est frui optimâ hac medicina, quæ veritatis, & potestatis ab arte tantâ profectæ certissimum argumentum, ad omnium Farnerianorum Asinorum ora impudica obturanda, & maledicos dentes confringendos abundè sufficit.

Asinorum tamen istorum quis ore suo impudico venenum exspuere & dicere forsitan posset; quo jure meæ Medicinæ, *Universalis Medicinæ*

поруча

nomen imponere queam, cum ipse neutiquam inficias eam quod nullum mihi ex metallis commodum afferre valeat, ac tantum ægrorum morbis medeatur; Philosophi è contrario testentur, eas Universalis Medicinæ vires esse, quæ etiam reali transmutatione minora metalla in aurum, & summâ quidem cum utilitate, convertere soleant. His ut respondeam, dico, quod Medicina hæc mea, de quâ hîc agitur, licet hætenus nullum mihi fructum ex metallorum emendatione attulerit, re ipsâ, se Universalem existere, & eodem titulo dignam esse demonstret. Equidem ejusdem perfectionem, & fixationem quominus hætenus absolverim, & temporis incommoditate & aliis impedimentis, ut supra dixi, impeditus fui. Cui quæso notum est, quid temporis successu Deus largiturus sit. Infanti recens nato exprobrari non potest, quod ingenio, & judicio carens magnum quid non occipiat, aut effectui det. Quis ipsi diceret? Vir non est; imberbis est, nihil intelligit; jacens sibi ipsi auxilio esse nequit; nil habet, nisi ea, quæ ipsi porriguntur. Ad ætatem debitam perveniat, ac cibi ac potus debiti ipsi subministrentur, temporis successu staturam & robur requisitum acquirat, genusque suum propagabit ac multiplicabit. Nam si forma humana semel adfuerit, tempore subsequente nil aliud nisi perfectus homo ab eadem proficisci potest. Eodem planè pacto se res habet cum Medicina mea infanti recens nato similli-

ma,



ma, cujus si more Philosophico habebitur ratio, dubium nullum erit, quin ad debitam perfectionem perventura sit. Quæ verò jam præstat, ea cuncta satis firmiter arguunt, ac testantur, aliquid melius ex ea temporis progressum producere & posse, & debere.

Quemadmodum autem parens bonus nihil magis in votis habet, quàm ut, se adhuc vivente, liberi sui adolescant, felicibus matrimoniis exsurgant, prole nova nomen & stemma conferrent, humani generis multiplicationi operam dent, ac ipse ex nepotibus maximam lætitiã capiat; Intereà tamen neutiquam certus esse potest, tamdiu vitam sibi prorogatum iri, ut eã felicitate uti fruique queat; Unde Deo totum negotium committat, ac patienter præstoletur oportet, quid Omnipotens ille Creator, qui Mosi Terram promissam quidem ostendit, sed tamdiu vitam non concessit, ut ejusdem fructibus frueretur, secum & cum suis acturus sit: Pari ratione mihi Deus Promissam Terram ostendit, inquam, an dignus sim, ut ejusdem fructibus æternis fruendi causâ perveniam, Deo soli notum est. Hujus misericors benignitas mihi quidem in senectute meâ infantem Philosophicum largitus est, me quidem summo gaudio afficientem; Verum enimvero an lucis hujus usuram tam diu mihi concessurus sit, ut ejus virilem ætatem videam, me penitus latet.

Sicut igitur pater, cui in senectute constituto  
ad

ad nominis sui propagationem Divina Beneficentia hæredem donavit, quamquam se illius virilitatem vitæ suæ curriculo se attingere non posse probè novit, nihilominus tamen gaudio summo effertur, quod hæredem habeat suum nomen gerentem, & paternis vestigiis olim institutum: Eodem planè pacto incredibili gaudio me afficit recens ille mihi natus Infans Philosophicus, licet forsan vitæ meæ curriculum eò non perrecturum sciam, ut ejusdem ad perfectionem deducti compos futurus sim. Nullum interim mihi dubium est, quin Deus huic infantulo alios nutritios patres suscitaturus sit, ut ab ipsis nutritus & educatus ad virile robur, virilesque vires & virtutes perveniat, ac honori Divino, multisque ægrorum millibus inserviat. Hæc consequendi modum, simplici judicio meo passim in diversis opusculorum meorum locis frustulatim, ut commodissimè fieri potest, aperui & revelavi, ita ut de eo prolixius hîc agere supervacaneum existimem.

*De Naturâ, formâ, proprietatibus, &  
admirabili virtute, & efficiâ veri mei  
Auri Potabilis.*

**Q**Uod ad Infantuli hujus recens nati formam attinet, Benevolus Lector sciat velim, nudo alicui infantulo similem nullius esse splendoris, & aspectu simplicem, omnes tamen totius mundi

B

colo-

colores absconditos gerentem, qui quò senior evadit, eo pulchriores colores exhibet. Ignis alimentum ipsi præbet, variorum colorum vestibus ipsum tegit, ac fortem, pulchrum, superbum, potentemque reddit, ut non immeritò Pater ipsius appellari debeat. Ex terrâ matre natus eandem amat, eâdemque pro nutrimento suo utitur, usque dum exoptatam ætatem, plenosque annos consequutus Igni patri suo similis evadat, terram matrem suam relinquat, & instar Domini alicujus possessionibus suis hæreditariis dominetur. In ipso autem adhuc in infantiâ suâ versante cuncta puerilia animadvertuntur, ità tamen, ut mox appareat, qualis & quantus vir evasurus sit, locum vulgari proverbio faciens; *Vrit maturè quod vult urtica manere.* Etenim cum recens natus Infans tantis viribus pollens tantum boni præstare queat, quid non effecturus esset, si annorum maturitatem attigisset. Operæ igitur precium erit audire & videre, quas in Vegetabilia, Animalia, & Mineralia vires exercere soleat, ac possit. De Vegetabilibus primum agemus.

*Qua ratione periculum faciendum sit, an hoc Aurum potabile, sive Aqua Vita Philosophorum summa sit Vegetabilium Medicina.*

**N**eminem fugit, quod Vegetabilia, quorum est nasci & multiplicari, etiam nutrirī debeant.

debeant. Nutrimentum hoc aliud nihil est, nisi Sal Sulphureus, sive ex Vegetabilibus oriatur, sive ex Animalibus ortum trahat, sive ex Mineralibus proficiscatur, quia Vegetabilibus perinde est, undecunque ipse originem capiat, dummodo nutrimentum ipsis præbeatur, quo crescant, augeantur, & multiplicentur. Agricola pecoris & pecudis cujusvis fimum ad stercorenda rura sua adhibet, ut semen terræ stercoreatæ mandatum inde Sal extrahat, in alimentum suum convertat, atque ità crescat, & augeatur. Præter hanc stercoreationem nulla alia ipsi innotuit.

Verus autem Physicus ad agrorum stercoreationem etiam aliorum Animalium excrementa, ac ipsa Mineralia usurpat: Quâ de re in scriptis meis, ac cum primis in *Miraculo Mundi* prolixè à me actum, ideòque prolixiore repetitione hîc neutiquam opus est. Cum igitur Aurum meum Potabile etiam sit Sal Sulphureus; sed longè fortior & efficacior illo, qui in fimeto pecorum & pecudum vulgari latitat, utpote qui omnium Vegetabilium accretionem, & multiplicationem mirè promovet, ejus in Vegetabilium emendatione usum hîc apponere operæ pretium duxi, ut apertè demonstretur, Aurum Potabile hoc meum summam omnium Vegetabilium Medicinam esse, eorumque particularem medicinam prius ex pecorum & pecudum fimetis progredi, ac postea universali operatione vires suas exerere. Nam si

B 2

minibus

minibus & Metallis mederentur, sicut Vegetabilibus medicam opem ferunt, eâdem quoque ratione *Vniversales* appellandi forent. Quoniam autem solis *Universalibus* medicando auxiliantur, nec ulla Mineralibus & Animalibus familiaritate juncti sunt, jure ac merito ad particularium Medicinarum solis Vegetabilibus medentium ordinem referendi sunt. Sal tamen ex firmis illis elicitus, & in Salem petrae conversus, id quod factu facile est, in *Universalem* Medicinam se transmutari patitur; antè transmutationem autem talem particularium Medicinarum ordinem non egreditur. Hoc verò Aurum Potabile meum *Verae Universalis Medicinæ* nomen meretur, utpotè quod non Vegetabilium modo, sed & Animalium & Mineralium Medicina summa existit, id quod perfectè ita demonstrabitur.

Conficienda tibi curato nonnulla vasa ex terra optima & forti ficta, quæ ignis beneficio cocta, lapidosa evadunt. Ex terris talibus aptiores præ cæteris sunt Colonienfis, Siburgensis, Waldenburgensis, & aliæ similes, admodum densæ, & nullam aquam imbibentes. Harum si penuriâ laboraveris, ex vitro eadem vasa conflanda dato. Nam terra porosa quævis, plumbeo vitro licet obducta, ad hanc rem tamen planè non est idonea, unde omnino necessitas postulat, ut de aptis & commodis vasis sibi quis prospiciat, & hujus admonitionis potissimam rationem habeat. Vas ejusmodi spithamæ longitudinem, sive altitudinem,

nem,

nem, aut profunditatem, ut & latitudinem aut largitatem eandem habeto, fundumque ipsum aliquot parvis foraminibus pervium, ut aliàs ollæ illæ floribus conservandis destinatæ habere solent. Ollis sic paratis, & arenâ clarâ & macrâ usque ad summitatem labrorum repletis tria aut quatuor semina herbarum, quas quis serere cupit, injiciat, aut inserat, ut si unum fortè non prodeat, alterum tamen, tertium, quartumque exsurgere queat. Postquam semina arenæ dicto modo mandata, & Aquâ Universali nostrâ madefacta fuerint, Soli & Aëri ollæ exponantur oportet, ut crescendo emergere queant semina, quæ, si non vetera, sed bona fuerint, paucorum dierum intervallo ex arena, ut ex aliis terris, erumpent. Quam primum verò ad digiti longitudinem in culmos se erexerint, duobus majoribus & fortioribus relictis cæteri evellantur, ne unus alteri crescenti impedimento sit, sed spatium in olla crescenti requisitum habeat.

Vas illud ipsum arenâ & seminibus impletum patinæ aut testæ alii forti, & ex simili terra optima coctæ imponendum est, ut si fortè Medicinalis illa aqua per arenam penetrando destillet, non pereat, sed excepta in ollam arenâ refertam iterum infundatur. Porrò cavendum diligenter, ne qua pluvia illapsa medicinalem illam aquam secum avectam auferat, & herbis nutrimentum subtrahat. Arena non nimium, sed semper parum madefiat, ne planè exsiccata, aut nimium

madida temperamenti debiti excessu aut defectu totum opus corrumpatur. Cunctis, quæ præscripta sunt, debite observatis brevi temporis intervallo herba perfecte enata flores & fructus citiores & meliores feret, quàm si ex alia terra stercoreata emerisset. Colores evadent pulchriores, odor erit fortior, vires quoque erunt majores; quas ejusmodi herbæ cæteris minus corruptibiles etiam longè diutius conservare solent. Postquam omnis humiditas, quæ primò affusa est, à Sole & Aëre ità consumpta fuerit, ut planè evanuerit, alia aqua pluvia, in qua aliquantum auri istius potabilis dissolutum fuerit, denuò arenæ affundenda est, ut herbæ tamdiu nutrimentum suum debitum subministraretur, quamdiu crescendo occupata fuerit, cum ex arena aquæ pluriæ solius humiditate madefactâ nihil omninò enascatur, id quod toti mundo innouit.

Similiter hujus Universalis Medicinæ auxilio omnis generis herbæ & plantæ in media hyeme ad germinandum, & nascendum aptæ reddi, & quovis tempore emendari possunt, si nimirum radicibus liquor ille dissolutus affundatur. Sic maturius prodeunt, & flores ac fructus longè citius edunt, quàm illæ, quæ vulgari modo stercoreatæ sunt. Imò quoad virtutes & vires vulgaribus longè præferendas ajo. Efficaciam tantam Medicina Universalis simplex præstare solet: Eam longè efficaciorum reddet fermentum aliquod

quod Metallicum ipsi additum, cujus beneficio majores & meliores virtutes herbis conciliantur. Si fermentum ipsi aureum adjunctum fuerit, herbæ non tantum auri virtutes consequentur, verum etiam hinc inde in foliis & floribus aureis maculis, stellulis similibus, notabuntur, & admirabili aspectu oculos pascent. Si fermentum argenteum additum fuerit, argenti virtutibus herbæ pollebunt, & argenteis signis in crescendo pingentur. Hoc pacto herbæ cordi suas vires communicantes, aureo fermento, & cerebrum particeps suarum virtutum reddentes, argenteo fermento emendatæ admirabiliori efficaciâ membris istis succurrent. Tales herbas in hortis suis colendas si Magnates bonæ suæ valetudini studentes curarent, maxima ex iis commoda quin consequuturi sint, extra omnem dubitationem ponitur. Nam ut pulchritudinem & amœnitatem oculos mirâ voluptate afficientes, ut & admirabiles ipsarum vires, quibus vulgaribus herbis longè antecellunt, silentio præteream, insigne hoc commodum quoque afferunt, ut in ulum adhiberi possint loco Auri mei Potabilis, à quo nonnulli Magnates abhorrere forsan possent, persuasi ab ignorantibus suis Medicis, qui plerumque, ex stupida sua ignorantia divinas ejusmodi Medicamentorum illustrium vires dente Theonino rodere, & ab eorum, tanquam venenorum, usu Dominos suos arcere solent. Si igitur his herbis Auri mei Potabilis loco uterentur,



tur, sollicitudinis non necessariæ expertes nihilominus Vegetabilium talium auxilio tantâ Aurum Potabilis efficaciam fruenter, valetudinem suam bonam conservarent, aut amissam recuperarent. Non verò solum adjuncto Vegetabilium, sed etiam animalium ope Aurum Potabile dictum quam commodissimè & aptissimè in generis humani usum adhiberi potest; id sequenti modo effectui dabitur. Avenâ, hordeo, tritico, aut alio ejus generis frumento, Medicinæ Universalis istius liquore, macerato gallinæ aliquandiu nutriendæ sunt, quæ eodem nutritæ medicinales istas virtutes concoquendo in carnem suam mutabunt, aliarum Gallinarum carne longè nobiliorem, & efficaciorum. Stercoribus gallinaceis collectis, & arenæ mixtis herbæ si inserantur, eodem pacto vulgaribus meliores redduntur, eò quod liquoris istius reliquias à gallinis non consumptas, & in carnem gallinaceam non transmutatas sibi appropriant, & in succum suum convertunt; adeo nihil omnino de liquore isto perit, sed totus in maximum emolumentum abit. Insignis profecto, & admirabilis hæc est Medicinæ Universalis in Vegetabilia & Animalia Transplantatio, quâ teneri Magnates summâ securitate uti possunt; Qui Medicinam hanc meam Universalem teneris herbarum seminibus, ac pullis gallinaceis penitus non obesse, sed iisdem efficaciam & robur majus conciliare si viderint, tantum etiam procul dubio credent, & intelligent,  
candem

candem & hominibus nequiquam teneritate suâ herbarum feminibus, & pullis gallinaceis paribus minimè obfuturam esse. Si Medicina hæc tantæ est efficacix, ut paucarum horarum spacio venenatum aliquod Minerale, qualis Mercurius est, in verum aurum, ut mox videbimus, & audiemus, transmutare valeat, profecto necessarium est, ut malignitate, aut veneno aliquo non sit infecta, cum alicujus rei malignitas alterius malignitatem non emendet, & corrigat, sed potius deteriorem reddat: Unde meridianâ luce clarius patet, Aurum illud Potabile non malignitatis alicujus particeps esse, sed saluberrimam Vegetabilium, Animalium, & Mineralium Medicinam Universalem existere; cui rei si quis fidem adhibere noluerit, aut eidem intelligendo par non fuerit, eidem ego adjumentum aliud ferre nequeo, qui mearum rerum fatagens bono & sincero animo cuncta proposui. Siquis melius quid habuerit, illud in medium producat, & non contemnat ea, quæ non intelligit, ne cum mendaciorum convicto Farnero famam suam prostituat, & à vulgo risui & ludibrio habeatur. Ut alii majore rerum cognitione & experientia polleant, facile patior, nec rubore suffundor, si quid mihi ab aliis discendum est, quod accuratior demonstratione mihi significatur. Ignorantiæ verò fratrem aliquem ex invidia sola meorum scriptorum veritatem suggillando in contemptum adducere conantem, nec meliora iis in medium

dium proferentem , Farnero mendaci similem æstimo. Ejus farinæ socios haud facilè jam aures suas alininas prodituros , aut in conspectum erecturos autumo , quandoquidem Antesignano ipsorum , qui toties tam turpiter se dedit , metus jam injectus est , ut à nequissimis ejusmodi occipiendis jure ac merito abhorrere incipiat.

Nisi forsan novus aliquis Farnerus , aut Erostratus ex nequitia latebris erupturus esset , ut scelestis suis facinoribus sibi nominis famam pessimam comparet , cui idem cum cæteris præmium fore confido , dedecus nimirum , & infortunium , quo seipsum maetabit. Farnerus , & Erostratus , qui sceleratis suis factis immortale sibi nomen invenire moliti sunt , æquiparandi esse videntur nigro illi vermi multipedi , de quo lumbricis inimicissimo , in secunda *Pharmacopœia Spagyrica* meæ parte mentionem feci.

Vermis ille non , ut cæteri , terrâ , herbis aut gramine vivit , sed pingues lumbricos in terra quærit , iis adhæret mordicus , & ex foramine , quod mordendo aperit , succum pinguem exsugit , eoque adeò pinguescit , ut vix repere queat , licet plurimis pedibus abundet. Verno tempore admodum macilentus cernitur ; Æstivo tempore lumbricorum succo pinguescit , nec in lucem ex terra prodit , nisi à magno aliquo lumbrico , qui ipsum mordicus adhærentem sub terrâ excutere nequit , erepente protrahatur , ut eo citius ipso excusso miser lumbricus tam fœdè vulneratus

tus

tus liberetur. Licet enim Lumbricus decies aut tricies verme isto major sit, hic tamen acuto suo morfu adeò firmiter isti adhæret, ut nonnisi supra terram protractus eum deserat. Ut primum enim ex terra in lucem venerit, & hominem aliquem conspexerit, lumbrico deserto in terram se illico subducit, ac alium quærit lumbricum, cui cruciatio sanguinem exugat. Alter liberatus, & morfu ferè divisus terræ latebras repetit, & propria sua virtute se restituit. Certamen horum insectorum sæpè oculis meis aspexi, & vermem illum nequissimum comprehensum extinxi. Sed nunquam, ut dixi, in conspectum pròdeunt vermes illi, nisi à lumbricis, quibus mordicus adhærere solent, protrahantur.

Si igitur multorum pedum vermibus ejusmodi aliorum more, ab ipsa terra nutriretur, & lumbricos missos faceret, nemini innotesceret, nec ejus mentio aliqua fieret. Morfu verò lumbricum lædens, nequissimam suam indolem manifestat, & nominis famam sibi pessimam parit, cum tamen aliàs in tenebris latitans nemini notus fuisset, nisi lumbricum morfu læsisset, succo ac sanguine suo spoliasset, ac in apertum ab ipso productus fuisset. Impositum est ipsi *Sanguisugæ* nomen, quod jure ac meritò etiam Farnero isti competere quis diceret. Sicut enim sanguinis & cædis avidissimus ille vermis non lacessitus lumbricum in terra tamdiu excruciat, donec eum prorumpere cogat: Ita & Farnerus iste me divexavit.

xavit. Nam si manuum suarum labore debito & honesto sibi de victu & amictu prospicere voluisset, mihi morfu suo venenato sanguinem non exsuxisset, neque ego ipsum, & pessima ipsius facinora ex terræ latibulis in lucem protrahere coactus fuisset. Quis nunquam Farnerum novisset, nisi infidelissima sua perfidiâ me aggressus fuisset, infinitis calumniis onerasset, & , ut succo & sanguine meo pinguesceret, ex tranquillitate in summam inquietudinem conjecisset, ac multis damnis & malis affecisset? Sicut igitur Vermis ille sanguisuga pessimam suam indolem toti mundo manifestavit, ut cupiditas ipsius sanguinis avidissima neminem fugiat; Ut etiam saluberrima lumbricorum proprietas eadem ratione unicuique patefacta est: Ita & Farneri nequissima facinora nequitiam ejus perversissimam omnium hominum oculis subjecerunt. Quis quæso lumbricis tam salubrem succum inesse unquam odoratus esset, nisi ipsum à verme illo fauciatum proprio suo succo sibi pristinam valetudinem restituere cognovisset? Si Farnerus sanguini & bonis meis non inhiasset, sed me in tranquillitate mea reliquisset, nec Diabolica ejus malitia, nec mea bonitas mundo fortè patefacta fuisset. Nemo certe, ipsum tam perfidum, fallacem, mendacem, ac veteratorium honoris, ac famæ spoliatorem, sicariumque adeò detestandum esse, unquam scivisset. E contrario etiam nemo Secreta illa tot & tanta apud me  
quæ-

quæfivisset, quæ Farnerus iste convitiis & calumniis suis mendacissimis mihi extorsit, & ego in proximi mei commodum revelavi. Nulla igitur in mundo res adeò mala & perversa est, quæ alicui bono non inferviat. Licet enim sæpè dictus vermis injustissimus lumbricum mordeat, malitiâ tamen injustâ suâ facit, ut saluberrima lumbrici natura mundo innotescat. Farnerus convitiis & calumniis suis me adortus est: Ansam ipsi respondendi, & me defendendi præbuit: Ex hac respondendi occasione pulcherrima Secreta, & Arcana naturæ in lucem emerferunt. Nunquam certè meam in Naturalibus rebus cognitionem in apertum protulisset, sed instar lumbrici tranquillus delituissem, nisi Farnerus sanguisuga & Sicarius morfu suo venenato ex tranquillitate meâ me ejecisset. Sed nequis similitudinem hanc in malam partem interpretetur, velim, cum ea haud malè huic loco quadret & ego facile ipse conjicere queam, haud paucos miraturos esse, cur adeò aperto stylo res tantas, ac tam inauditas tractem; Instituti mei rationes & causas exposui, eas exponendi occasionem nactus. Nam si me ipsum aliquâ ratione non detexissem, facile usu venire potuisset, ut apud imperitum Vulgus de Victoriâ Farnerus gloriatus fuisset, qui tamen jam dejectus infamiæ maculâ perpetuâ seipsum notavit. Hinc facile in posterum unusquisque judicare poterit, quàm perfidè & impiè monstrum illud hominis me ac scripta mea suggillârit,

rit , & contempserit , & quàm sincero ac integro animo contrà ego proximi mei commodo studuerim. Ideo hæc silentio præterire nolui , ac quasi per parenthesin toti mundo palàm facere debui.

Hoc autem meum Aurum Potabile multis hominum piorum millibus medicinam saluberrimam, mihi longum brachium , & potentem manum , omnibus verò meis hostibus Farnerianis, & Diabolicis ipsorum affeclis nocentissimum venenum futuram spero. Nam veluti Ciconia serpentes, bufones , & omnis generis insecta venenata removet , & de medio tollit : Ità etiam hæc Medicina brevi temporis spatio Farnerianarum viperarum progeniem venenatam ità deglutiet, & consumet , ut ne vestigia quidem ipsius ulla reliqua futura sint.

Ne autem cui mirum aut omninò absurdum videatur, quod scribam , Aurum meum Potabile herbis nascentibus auream naturam inducere , consultum mihi videtur rem veris historiis firmare. In Hungariæ & Transylvaniæ Chronicis legitur, quod in iisdem regionibus , in quibus solum ubique in montibus auream naturam habet, & abhinc per mille annos usque ad hoc tempus præsens multum auri à fossoribus quotannis erutum , fustum , & in numismata redactum est , sæpius vites inventæ fuerint , quarum non modo folia , sed etiam uvæ ipsæ auro quasi obductæ apparuerint , haud aliter ac si deauratæ fuissent.

Non

Non est fabula hæc anilis, sed res verissima, quam mihi plures verissimam asseverarunt, quorum quidam in iisdem locis domicilia sua habuerunt, alii adhuc habitando commorantur. Ante sex annos, cum in Franconia habitarem, mihi usu venit, ut vitis, cujus radicibus aurum in primum Ens suum reductum & apertum apposueram, acinos uvarum deauratos ediderit: quam historiam in Tractatu, (quem in solatium eorum, qui mare navigando percurrunt, conscripsi) prolixiore narratione commemoravi. Nuper admodum Hungarus quidam Nobilis verissimum esse mihi narravit, quod haud longè Cremnizio, unâ ex montanis Hungariæ urbibus, agricola quidam in vinea sua corporalis auri frustum, ulnam longitudine superans, ex lapide enatum, & ipsi circumvolutum invenerit; cujus frustulum novitatis & admirationis gratiâ mihi à dicto Nobili donatum est. Ac posito, sed non concessò, verum non esse, quod tamen verum, & procul ab omni dubio remotum est, utpote toti mundo notum, quod deauratæ ejusmodi uvæ in Hungaria, & Transylvania sæpius reperiantur; illa tamen verissima sunt, quæ meo Auro Potabili adscripsi.

Uvarum harum, ut & foliorum deauratorum in Hungaria causam aliam afferre non possum, quàm quod terra ibidem aureis vaporibus, aut Auri Ente primo nondum indurato & coagulato imprægnata sit, & aurea illa aqua pluvix aquæ

mixta



mixta vitium radicibus se insinuet, ex iis in ramos & uvas adscendat, & in ipsis se manifestet, & visibilis evadat.

Idem & Auro meo Potabili accidit, quod Auro alicui spirituali simile, si aqua pluviâ vulgari solvatur, & eidem commisceatur, ut arena, cui Vegetabilium semina serendo mandata fuerint, liquore illo humectetur, à Vegetabilibus herbis nutrimentum ex arena attrahentibus attrahitur, & attractum eadem aureæ naturæ participes reddit; id quod experientiâ teste verissimum est, nec aliter fieri potest.

Ex his paucis, ut opinor, unusquisque satis superque percipiet, meum Aurum Potabile summam Vegetabilium Medicinam esse. Idem & Mineralium Medicinam summam existere, paucis quidem, sed tamen claris argumentis etiam probabimus.

*De usu mei Auri Potabilis in Mineralium emendatione.*

**A**urum meum Potabile quoad Mineralium emendationem ita comparatum est, ut & humidâ, & siccâ viâ transmutationem Metallorum indagantibus, & ejusdem periculum facientibus possibilitatis specimina exactissima exhibere queat.

Primò unusquisque sciat oportet, dictum Aurum Potabile ad perfectionem debitam, & mihi  
notam

notam deductum aquæ limpidæ & claræ similitudinem habere, sapore fervido, & igneo linguam ferire, & odorem sulphureum, sed jucundum exhalare.

Sed diceret quis, numquid virium ejusmodi aquæ claræ inesse potest? Quâ ratione Aurum Potabile nuncupandum, quod flavum aut rubrum esse deberet? Huic respondeo, in albore ruborem absconditum in tenera ipsius juventute non conspici, sed cum ipso ad majorem ætatem, ignis auxilio, perveniente prodire, ac pulchritudinem suam, cum robore & efficaciam summam in lucem prodere. Ità enim Philosophi dicunt: *Nisi aurum nostrum albaveritis, non rubefacere poteritis.* Et alio in loco: *Si quis Aurum scit destruere, quod amplius non erit Aurum, iste ad maximum pervenerit Arcanum.* Iterum alibi: *Aurum nostrum non est aurum vulgare, sed aurum in potentia, non in forma.* Dictorum, & sententiarum talium tota Turba Philosophorum plena est, ex quibus exactè demonstratur, quod verum Aurum Potabile non mox externo aspectu rubrum esse debeat, sed nomen illud mereatur, si modo aurea, & rubra illa vis & efficacia in interno ejus principio delitescat. Nam si albor rubedinem absconditam non tegetet, in ruborem nunquam abire posset. Aurum meum Potabile ignis adjumento coagulatum, & ad stabilitatem in igne redactum in sanguinei coloris lapidem mutatur, & in fusione corporale Aurum non reddit, nisi Metall-

C

cum

cum corpus ipsi adjungatur, in spirituale & Philosophicum Aurum se recipit, ut corpus induendo corporale evadat.

Hoc meum Aurum Potabile est *Lac Virginis* quod exiguo calore coagulatur: Hoc Coagulum in *Draconis sanguinem* transit, qui coagulatus necessario *Salamandrum* constantem reddere debet. Nunquam quidem hactenus eum paravi, nec parandi occasionem nactus sum; sed lacte Virginis meo, tanquam optimâ Medicinâ Universali contentus patienter exspecto, quid Divina Gratia mihi tempore futuro largitura sit.

Ut autem pergens demonstrarem, quod meum Aurum Potabile etiam Mineralibus medeatur, eadem emendet, ac aurea reddat, nonnullos modos illud tam siccâ, quam humidâ viâ efficiendi hîc apponam.

*Modus per humidam viam periculum faciendi, an Aurum potabile meum verum Aurum Volatile Philosophicum sit.*

℞. **A**Uri Potabilis mei ℥j. & vitri alicujus fortis & parvi dimidiam partem implenti ℥j. aut 3℔. Argenti vivi vulgaris (NB. Vitrum illud in fundo rotundum esse debet, sive portio alicujus matrati parvi, aut violæ alicujus fuerit, ut Mercurius se in unum globum in fundo colligere possit) impone, ac vitrum cum Auro Potabili & Argento vivo arenæ usque ad altitudinem

dinem liquoris immitte, calefac, & in sufficiente calore per horam unam relinque, ut phlegmate exhalato Aurum Potabile in album Salem refideat. Hoc facto, Sali isti rursus aquæ pluvix tantum affunde, quantum coquendo perdidit; aut vitrum eo usque, aquâ pluviam reple, quousque antea Auro Potabili repletum erat, ut aliquandiu supra Salem illum quiescens, eodem soluto in idem Aurum Potabile convertatur, & eundem colorem, eundem saporem, ac easdem vires habeat, ut antea habuit. Mercurius effuso Auro Potabili liberatus in fundo durus & fixus, instar optimi Auri, eadem magnitudine, qua vitro inditus est, reperitur. NB. Si forsan errore commisso Argentum Vivum non satis tinctum, & ad debitum gradum non deductum, nigrorem aliquem obtinuerit, ex vitro eximendum, & crucibulo alicui parvo imponendum, ac prunis probe candefaciendum est, ut Auri colorem debitum recipiat, quem etiam optimo Ducatorum Auro respondentem consequetur, & in omnibus examinibus probum & constans permanebit. Illud verò Aurum Potabile, quod ad Mercurii coagulationem adhibitum est, sæpius ad eundem laborem adhiberi potest, hac tamen cautione adhibitâ, ut semper sequenti vice minus Argenti Vivi ad hanc operationem sumatur, quam priori vice sumptum est, eò quod Aurum Potabile successivis ejusmodi laboribus usurpatum sensim virium suarum jacturam faciat.

Modus hic Mercurium coagulandi, etiam in aliis Mineralibus & Metallis coagulandis usurpari potest, modo Metalla in tenues bracteas reducta imponantur. Nam nimis crassa imposita tam brevi temporis spatio tota ab Auro Potabili ad debitum perfectionis gradum digeri non possunt, sed intus cruda manent, atque ideo hujus rei accurata ratio habenda est. Si labor hic ritè peragatur, metalla magnitudine, figurâ, & formâ eâ quâ imposita sunt, penitus in purum & verum aurum transmutantur, unum tamen citius, & commodius altero, prout auro vicinius fuerit. NB. Si metallum debito modo non tractatum, sed adhuc nigrum ex Auro Potabili exemptum fuerit, probè candefaciendum est, ut Aureum colorem sibi adsciscat. Qui etiamnum dubitat, Saturno impositum per Cineritium sive Cupellam purget, ut se Aurum verum habere certus sit, & omni dubitationis scrupulo liberetur. Nam tali Auro Saturnus & Antimonium nec quicquam detrahet, quod ipsum examen clarissimè demonstrabit.

*Modus per siccam viam faciendi periculum, quomodo imperfecta Metalla à meo Auro Potabili transmutentur.*

℞. ʒj. **A**uri Potabilis mei, sive Lactis Virginis, & vitreâ patellâ, cui imponendum, arenæ calidæ immisâ omnem humiditatem  
 evapora,

evapora, donec Salis alibi ferè  $\frac{3}{4}$   $\beta$ . remaneat. Hunc crucibulo impone cum  $\mathfrak{Dj}$ . vel  $\frac{3}{4}$   $\beta$ . laminati Argenti, aut Cupri, aut ferri; stannum, & plumbum nulla laminatione opus habent. Crucibulum cum Sale & Metallo prunis lignicis immitte: Sal instar ceræ illicò liquatus mox metallum totum penetrabit, & in Aurum mutabit, quod quarta horæ unius parte, aut ad summum dimidiâ hora peragitur. Effuso ex crucibulo sale, Metallum lamina in eodem reperitur, eandem quantitatem & figuram retinens, quâ immissa est, & penitus in aurum purum putum transmutatum. Stannum, & plumbum, utpote facilis fusionis in grana liquantur puri puti Auri naturam obtinentia. Si crucibulum nimio igne nimis calidum evaserit, usu quoque venire potest, ut & argentum, cuprum, atque ferrum in grana abeant, id quod studiosos Artis celare nolui.

Hæc sunt, artis Studiose, duo ista mei Auri Potabilis examina, illud per viam siccam, & humidam examinandi, quibus si ritè perfunctus fueris, à scopo non aberrabis. Transmutationem autem hanc lucrosam esse non assero, & jam superius inficias non ivi, me eum in finem tantum hæc omnia divulgare, ut artis possibilitatem oculis subjiciam. Quamvis enim Aurum his examinibus acquisitum verum, & purum putum sit Aurum, omnibus Auri examinibus solitis satisfaciens, nihil tamen utilitatis adfert, eò quod Aurum hoc Potabile, antequam potestatis dictæ

gradum consequatur, eos sumptus requirit, quos Aurum ejusdem beneficio acquisitum compensare nequit. Imo si aliquod commodum adferret, malè tamen faceret, quicumque Medicinam tam regiam tantillo auro consequendo impendere vellet, cum alii modi aurum suppeditent, & peccatum profecto ac dedecus summum foret, tam pauca pecuniæ causa Medicamentum ejusmodi præstantissimum & excellentissimum velle consumere. Nec cum etiam in finem illud memoriæ prodidi, ut ad Aurum faciendum adhibeatur, cum ille mihi scopus tantum propositus sit, ut toti Mundo ob oculos ponam, homines adhuc hodiè reperiri, quibus Divina Gratia præparandi & conficiendi optima medicamenta artem largitus est. Aliis aliquid ex meis scriptis addiscendi, & opus hoc ad ulteriorem perfectionem adducendi occasionem arreptam non inuideo. Sed impius velim neutiquam sibi persuadeat, se ad male faciendum, & malitiam exercendum, instrumentum hoc consequuturum esse. Deus, qui novit, quid sibi faciendum sit, ea non faciet, quæ nobis libuerint, & placuerint. Veritatem à me scriptam singulis horis demonstrare possum, quâ demonstratione etiam acquiesco.

Variis variorum judiciis scripta mea exagitationum iri, facili quidem conjecturâ assequi, sed neutiquam impedire valeo. Nec tamen etiam curo, unico hoc solatio nixus, quod Veritatem indubitatum scripserim, & eidem coràm toto mundo

do

do patrocinari queam. Quid verò mihi quis ob-  
jicere posset, facili conjecturâ assequor : Nihil  
scilicet aliud quàm hoc, quod meum Aurum Po-  
tabile judicet esse nudam Auri communis solu-  
tionem, quæ aliis metallis adjuncta Aurum per  
ipsa præcipitatum, & in pristinum corpus rever-  
tens reddat, ita ut Verum Aurum Potabile neu-  
tiquam sit, atque hæc Auri vera transmutatio di-  
ci non possit. Objectionem hanc ut refellam,  
rogo ; An corporale Aurum commune sine Cor-  
rosivo aliquo liquore solvi queat ? Nam hoc  
meum Aurum Potabile omni corrosione carens  
igneæ est aqua omnibus Corrosivis maximè con-  
traria, cum nihil aliud sit, quam Nitrum fixa-  
tum, sive Sal Sulphureus, quibus salibus profe-  
ctò nulla cum Auro Vulgari familiaritas inter-  
cedit, & eæ vires neutiquam insunt, ut illud  
dissolvant. Imò si fieri posset, ut Auri Vulgaris  
corpus iisdem Salibus fixis solveretur, ac meum  
Aurum Potabile tali solutione dissolveret, ne-  
cessarium utique esset, ut solutio illa Auri colo-  
rem flavum, aut rubrum indueret. Sed res ita se  
non habet, cum meum Aurum Potabile adeò  
clarum & limpidum maneat, ut ipsam fontium  
aquam splendore suo pellucido longè superet.  
Huc accedit, quod Auri corporei solutio manus,  
ungues, capillos nigro colore tingat ; meum  
Aurum Potabile è contrario illud minime faciat,  
atque ideò Auri Philosophici titulo jure ac meritò  
gaudere debeat, & possit. Omnes enim Philo-  
sophi,



sophi, qui Medicinæ Uniuersalis possessores veri fuerunt, expressis fatentur verbis; *Aurum suum, aut ejus solutionem manus colore nullo inficere*, quo indicio & signo Vulgare, & Philosophicum Aurum distinguunt. Hinc necessario sequitur; meum Aurum Potabile ex vero Auro Philosophico paratum esse, cum nullo colore manus tingat.

Esto autem, quod Auri Vulgaris solutio menstrui alicujus non corrosivi ope peracta esset, qualis mea non est, attamen imperfecta Metalla, & Argentum Vivum vulgi in digestionem penitus non tingeret, & transmutaret, sed superficiem eorum solummodo, instar cæterarum solutionum omnium, Auri præcipitati colore obduceret, qualis pulvis idem præstans ex Vulgari Auro parari potest, cujus parandi modum in scriptis meis tradidi. Eo obductum Argentum perinde deauratur, ac si Argento Vivo vulgi, & Auro deauratum esset: Superficies igitur tantum deauratur, Argentum verò ipsum nullatenus transmutatum in pristino suo statu manet. Sic Aurum solutum in Salis spiritu, Vitrioli Veneris adjuamento, cujusvis ferri superficiem deaurat, sed ferrum ferream suam proprietatem & naturam retinet. Aquæ copiosæ tali solutioni affusæ si Argentum vivum, stannum, plumbum, Ferrum, aut Bismuthum imponatur, Aurum ex Corrosiva aqua præcipitatum instar porosæ spongiæ Metallo imposito adhærere solet. Ut primum autem  
aqua

aqua commovetur, Aurum præcipitatum instar limi turbidi per aquam se dispergit, impositumque metallum sine ulla transmutatione idem est, quod ante fuit.

Si etiam ulla Vulgaris Auri Solutio imperfectiorum Metallorum integrum corpus tingeret, quod tamen fieri nunquam potest, necessario Metallorum, ac inprimis Lunæ puræ superficiei externæ eadem affricata, aut illita corporum externas superficies deauraret; id quod Aurum Potabile meum non facit, sed Argento illitum illud omnis generis coloribus, quales infiniti in Pavonis cauda apparent, colorat, & pingit, adeò ut haud facile deleri possint, & indubitato sint argumento, non Vulgare, sed secretum Aurum Philosophorum, hoc meum Aurum Potabile esse.

Omnibus, his atque aliis similibus Objectionibus facilimè responsionibus debitis occurrere possem, si mihi objicerentur: Sed neminem tam audacem fore puto, qui melius quid in medium non adducens se oppositurus sit iis, quæ totius Mundi judicio bona judicantur.

Si cui meliora nota fuerint, eidem & hæc nota erunt, nec ab ipso contemnentur. Ignaro perinde est, quidquid contemnat, sive bonum, sive malum sit, quia ignorat, quid distent æra lupinis. Hujus rei testis est Farnarrus iste, de quo jam ad nauseam usque verba facta sunt. Cui verisimile fieri non potest, quod Universalis Medi-

cina sit, ille experiatur, ut ipsius rei veritatem exploret. Experimentiâ rem investigare recusans, de me iudicium ferendi pruritu superfedeat, ne se ipsum iudiciis aliorum subiciat, & se purum putum asinum esse prodât. Sapienti sat dicitur; Stulti nullâ doctrinâ sapere discunt.

Disputent autem & iudicent de hoc meo Potabili Auro Imperiti, quantum velint, nihil ipsis nisi hoc unicum occino : Si quid melius habetis, in medium producite, & examini requisito subijcite. Sin minus, ora invida obturate, & illud non contemnite, quod intellectus vester stupidus non capit, & quo aliquid melius producere nescitis.

*De mei Auri Potabilis Veri usu  
in Medicina.*

**Q**uid multa verba jam faciam de maximis mei Auri Potabilis in Medicina viribus & virtutibus? Magnum de ipsis librum conscribere necessarium non autumo, siquidem ejusmodi scriptiones sæpè plus obsunt, quàm profunt. Et enim adèò invaluit scribendi cacoëthes, ut vel colorato alicui Vino adusto tantas vires sæpius adscribere non erubescant, quantæ vix Auro Potabili ipsi adscribi possent. Haud abs re quidem est, quod nonnunquam in vili admodum re plus virium lateat, quam in pretiosis, & sumtuosis margaritis reperitur. Sed quia unusquisque ve-  
rum

rum à falso discernere nequit, & contrà iis fidem adhibere cogitur, quæ auribus haurit, fieri non potest, quin à veritate aberrans sæpè boni loco malum eligat; cui vitio Examen medetur, quod rerum veritatem explorare solet.

Si mihi mei Auri Potabilis vires accuratè essent describendæ, volumen ingens replendum foret, id quod hujus loci non est, sed Deo dante propediem expedietur libello, qui multa alia meorum optimorum medicamentorum comprehendet, & sub *Pharmacopœa Glauberi* titulo lucem videbit. Hic paucis mei Auri Potabilis usum innuam.

Quoniam igitur meum Aurum Potabile, ut jam sæpius inculcavi, ignis est concentratus, & in formam liquidam redactus, & tota ipsius essentia nulli alii rei nisi tenero, penetranti, flamma tamen carenti igni similis dici potest, cuius in promptu est conjicere, ad quid conferat, & quem in Medicina usum habeat.

Ex omnibus elementis purissimum, subtilissimum, penetrantissimum, & efficacissimum est ignis, & quidem nemine contradicente. Ignis enim vis, calor nimirum etiam densissima corpora, ut Metalla, & Vitrum penetrat, & nihil est, quod ipsi viam obstruere possit. Aqua, terra, & aër facillè excluduntur. Deus ipse Omnipotens cum igne comparatur, à quo omnia spiritum & vitam accipiunt, & sine quo nihil vivere, ac se movere potest, cum omnia sine ipso mortua, dura, & frigida

gida maneat, ut ex hominis aliorumque animalium corporibus patet, quæ viva semper calent, mortua glacie quavis frigidiora evadunt.

Quamdiu igitur vitæ scintilla illa in hominibus, aliisque animalibus debito cibo & potu nutritur, ac alitur, tamdiu etiam alimenta sua attrahit ac in vigore suo perseverat. Ut primum verò nutrimento sibi detracto destituitur, vita mox debilitari, & deficere incipit, sicut lampas accensa, si oleum non affundatur, tandem lumine suo extincto spoliatur. Siquidem ergo hominis vita ignis merus apto cibo & potu solo fovetur & sustentatur, lampadis instar, quæ sine olei affusione, & aëre, sine quo nullus ignis ardere, & nulla vita vivere potest, lumen suum conservare nequit; quærere quis posset, quid causæ sit, quod homines adeo facilè morbis corripiantur, qui optimi cibi & potus ad sustentandam vitam aptissimorum penuria nulla laborant? Huic respondeo; quod in ejusmodi hominibus crassi, crudi, tenaces & frigidi humores aditus ad vitæ punctum & scintillam occludant, ut nutrimento subtracto hæc spoliatur. Exemplo nobis est lampas accensa, in qua filum seu ellychnium olei impuri affusi fecibus obstipatum & obrutum nihil olei amplius ad flammam ardentem admittit, & facit, ut eadem extincta evanescat & emoriatur, licet olei affatim adsit. Sic & in arbore vetulâ, licet magna fimeti stercoreantis copia adhibeatur, perpetua non est vegetatio, sed cuncta tandem

dem emoriuntur. Mortem hanc promovent crudi, crassi, & tenaces humores radicibus se insinuant, & iis obstructis nutrimentum debitum arbori subtrahentes, sicuti in hominibus, & lampadibus accensis fieri solet, quod modo diximus.

Omnia causas suas naturales habent, quod Deus procul dubio ita ordinavit, & naturam indidit, ut cunctis rebus suo ordine ad interitum properantibus, nihil omnino constans & stabile in rerum natura reperiatur, omnia occasui & morti obnoxia sint, & sola æternitas, & divina stabilitas patefiat.

Aqua limpida multorum annorum decursu per canales & fistulas ligneas transcurrens illas tandem limo replet, coarctat, ac sibi ipsi viam & cursum suum obstruit. Hæc est aquæ fontium claræ & frigidæ operatio. Calida idem longè citius exsequitur, ut patet ex thermis Aquisgranensibus, & aliis, in quibus frequenter canales, fistulæ & aquæ ductus aperiendi & mundandi sunt, quod aquæ liber meatus conservetur. Omnium citissime talem operationem edunt aquæ illæ, quæ calidæ refrigerando mox feces in vasis deponunt, & ea obstruunt. In vasis apertis idem fit, si nimirum aqua fontis limpida & pellucida in aheno pluribus vicibus calefiat, & calefacta toties refrigeret: tandem enim aheni interioribus partibus tenax adhærebit limus, qui ultimo in durum lapidem convertetur. Si talem operationem efficit aqua fontis pura & limpida, quid illam facturam censes, quæ sua natura est  
turbida

turbida, crassa, salsa, & limosa? Hinc non solum nova & recens pressa vina, sive turbida ista musta, feces suas ad fundum demittunt, & tartarum suum dolii lateribus affigunt, sed etiam vetera, sed novis minus copiose, idem faciunt.

Quandoquidem verò potus ejus generis turbidi hominibus nutrimentum præbent, necessarium omninò est, ut viscera corporis interna, eorundem fecibus obstipata, vitæ nutrimentum suum, sicut lumini sæculentum oleum, subtrahat. Cuncta enim illa, quibus homo vescitur, & quæ bibit quotidie, temporis progressu internorum viscerum ductus & meatus in corpore humano obstruunt, & ignem vitalem suo nutrimento spoliant. Quò magis igitur hoc nutrimentum vitæ subtrahitur, eò citius lumen, aut ignis vitalis exstinguitur, ac frigida & tenebrosa mors propius accedit, & superior evadit. Hinc natum vetus dicterium: *Cocta comede, clara bibe, vera loquere, ut diu vivas*. Diceret vero aliquis: Turbidos igitur potus vitabo, ac coctis & probe paratis cibus vescar, ut ad mortem viam non sternens diuturniore vitâ fruam. Benè quidem hoc dictum, cum ad valetudinem conservandam sobrietas in cibo & potu, ac crassorum, crudorumque ciborum, & turbidorum potuum vitatio multum conferant: Sed quod tandem morbis obnoxius non futurus, nec moriturus sit, non sequitur. Nullus enim cibus adeò coctus, nullus potus adeò clarus est, qui occultas suas feces se-

cum

cum non vehat , quibus temporis decursu longiore vasa interna non obstipentur, & morbi non introducantur, sicut modo, puram aquam fontanam meatus suos temporis progressu obturantem idem facere , exempli causa, demonstravimus. Pari ratione etiam arboribus in montium jugis altissimis, licet clarissimâ aquâ pluviâ nutriantur, alimento ab obstipatis radicibus subtracto, tandem moriendum est.

Interea non dico, quod quercus, aut alia arbor ferâ in silvestribus locis sola aqua pluvia , & foliis, quæ quovis anno decidunt , nutrita non diutius duret , quam arbor aliqua frugifera quæ singulari studio & labore in hortis stercoretur , & colitur. Notum enim est, sæpius contingere , ut quercus aliqua ad millesimum durationis suæ annum perveniat , cum è contrario culta ejusmodi arbor vix centesimum attingat , id quod nutrientorum diversitati acceptum ferendum. Cervus in sylva , & corvus in aëre vivendo centesimum ætatis annum excedere possunt : capti, & optimè nutriti vix quinquagesimum superabunt. Homo aliquis solo pane & aquâ victitans proculdubio viam suam in longè plures annos prorogaturus esset, quam si delicato cibo & potu uteretur, id quod manifestissimum quidem, hominibus tamen neutiquam cordi est, qui nimiâ deliciarum copiâ fruentes onere nimio naturam gravant, unde viscerum obstructions oriuntur , & ad morbos via sternitur. Arbor fimeto nimio stercoreta  
nimiam



nimiam sibi pinguedinem simul & semel adsciscit, id quod radices obstruit, & nutrimentum impedit, quominus trunco, & ramis suppeditari queat, unde mors ingruens arboris vitam extinguit. Quid consilii ergo? dices: Si obstructions præcipuæ morborum, & mortis causæ existunt, nullane sunt remedia, quorum ope obstructions ejusmodi præveniri, aut si invaluerint, omninò tolli queant? Utrumque fieri posse ajo, nimirum ut & maturè præveniantur, & etiam penitus tollantur, si vires acquisiverint: id quod ejusmodi medicamentis perficitur, quæ naturæ amica, & iis contraria sunt, à quibus obstructions, & constipationes illæ originem suam trahunt. Nam frigidi, tenaces, impuri, & aquosi humores necessario calefacientibus, attenuantibus, incidentibus, penetrantibus, & igneis medicamentis attenuandi, emolliendi, incidendi & aperienti sunt, quandoquidem diuturna experientia docuit, omninò fieri non posse, ut obstructions, qualescunque etiam fuerint, sine calefacientium, & penetrantium medicamentorum adjumento auferantur. Ex omnibus Medicamentis istis certissima & efficacissima reperta sunt Spiritus volatilis salis communis, aut Vitrioli corrosionis expers; Spiritus volatilis Tartari crudi; Spiritus Urinæ, & Salis Ammoniaci, aliique similes spiritus ignei, qui in amolendo ejusmodi obstructions, suas vires optimo cum successu exercent. Quia autem volatiles illi spiritus plerumque

rumque obstructions tantum incipientes , & non confirmatas aggrediuntur, & resolvunt , fixiores verò & inveteratas non adoriuntur, utpote tantum virium non habentes , ut illas debellant & ejiciant, quæ à sui similibus , i. e. fixioribus medicamentis ejici volunt , quod peritorum Medicorum nullus diffitetur, in eo totius rei cardo versatur, quo pacto ejusmodi Medicamenta acquiri possint, quorum auxilio non solum recens exortæ; sed etiam inveteratæ, & confirmatæ obstructions ex corpore humano exigantur. Herbis & similis naturæ rebus illud effici nequit , ut præsens tempus ipsum apertè testatur, quo nullus ejusmodi obstructionibus obnoxius herbarum & similibus rerum ope curatur. Nam postquam æger palliativam curam diu frustra adhibuit , mors tandem ingruens post multas ollulas liguriendo exhaustas ipsum abripit, quod tamen facili negotio Medicina aliqua bona caveri potuisset. Etenim quo pacto fieret, ut frigida crassa, cruda, & non probè parata medicina frigidos & crassos humores calefactos, incisos, & emolliatos educeret? Perinde esset ac si quis glaciei frusto frigido , aliud glaciei frustum liquare , & in aquam reducere vellet : id quod tamen sine igne nunquam effecturus esset. Ideò ad frigiditas , & tenaces istiusmodi obstructions calefaciendas , extenuandas , & everrendas penetrans , igneum , vivum , & bonum Medicamentum adhibendum , & Syrupi, conservæ, ac

D

jula-

julapia frigida, mortua, & mucosa removenda sunt.

Satis mirari non possum, quando mihi de vita hominum in mentem venit, quod ea tam parvi æstimetur, & tam temerè ac petulanter ex pura putaignorantia negligatur. Adeò cæcus, & pertinax est præsens Mundus, ut hoc credere nec velit nec possit, licet ipsi digitis demonstretur. Nemini tamen hæc pervicacia plus obest, quam innocentibus, qui hæc non intelligunt, & ea tantum credere coguntur, quæ dicta auribus hauriunt. Cætera casui & tempori cum reliquis erroribus committunt, quibus, ut & aliis abusibus, hoc si Deo placuerit, remedium aliquod tandem aliquando subministrabit.

Concludimus igitur, & statuimus, præcipuam & potissimam morborum ac mortis occasionem, & causam existere tenaces, lentos, ac crassos humores, qui corporis viscera interna sensim & pedetentim occupant, obstipant, Humido Radicali nutrimentum suum subtrahunt, & Ignem vitalem magis ac magis debilitatum tandem penitus extinguunt.

Quibus removendis & disjiciendis nullum remedium est aliud, quàm ut viscerum internorum meatus aperti & puri conserventur, aut jam obstructi aperiantur, & referentur.

Hoc perfectè effectui dare novit meum Aurum Potabile, quo haud facilè melior, & ad corporis humani obstructions omnes referendas, & ape-

& aperiendas aptior medicina reperiri poterit. Naturâ enim suâ subtilis, penetrans, & ignea est essentia quæcunque frigida calefaciens, crassa attenuans, tenacia incidens, ac cunctos humores consumens, & exsiccans; adeò ut in usum adhibita omnium obstructionum generationem quamcunque inhibeat, & impediat, ipsasque jam natas & ortas emolliendo, & incidendo penitus amoliatur. Huc accedit, quod in Humido Radicali, & Spiritu Vitali corroborando; & incolumi conservando omnibus aliis medicamentis idem præstantibus palmam eripiat; ideò dignissima, quæ omnium Medicamentorum Centrum Concentratum & appelletur, & æstimetur. Etenim omnes virtutes, quæ in Vegetabilium, Animalium, & Mineralium quovis simplices & diversæ inveniuntur, & particulari efficaciam morbos adoriuntur, in meo Auro Potabili concentratæ, & in unum collectæ universales suas vires exserunt, ac ideò illud *Universalis Medicina* titulo jure ac meritò insigniendum arguunt. Nam in corporum humanorum curatione hoc Medicamentum cæteris cunctis medicamentis celerrimam virtutum suarum operatione non modo antecellit, sed & in Vegetabilium ac Mineralium emendatione iisdem planè viribus admirabilibus pollet, eâ de causâ, præ cæteris omnibus, summis laudibus extollendum, & cunctis aliis præponendum.

Si autem in morbis hominum domandis & debellandis longè nobilioribus & efficacioribus vi-

ribus polleret, quàm jam pollet, & è contrario in Vegetabilium, & Mineralium emendatione iisdem viribus nihil efficeret, *Vniversalis Medicinæ* appellationem vindicare sibi neutiquam posset, sed in particularium Medicamentorum censum solummodo veniret, utpote solorum Animalium morbis mederi sciens. At quoniam, ut supra modò diximus, meum Aurum Potabile non solum hominibus in Animali regno, sed etiam Vegetabilibus & Mineralibus cunctis, extra quæ tria Regna, Vegetabile nimirum, Animale, & Minerale in tota Natura nihil aliud reperiri potest, potentissimè succurrit, ac summa cunctorum Medicina est; Ideò etiam *Vniversalis Medicinæ* nomen & titulum jure sibi arrogat.

Philosophi quidem Universali suæ Medicinæ adscribunt, quod cunctis humani generis, & imperfectorum metallorum morbis, & defectibus mederi, & hæc in perfectum aurum transmutare queat. Quod autem & Vegetabilium Medicina summa sit, tacent. Silentio cur prætereant, accuratè dicere non possum, nec illud aperire necessarium duco. Me ulterius progredi, & in Vegetabilibus idem præstare eandem, manifestare sufficit.

Rectè tamen quivis me intelligat velim, nec adeò simplicem æstimet, quod *Aurum Potabile* meum, magno illi *Philosophorum Lapidi*, per projectionem Metallorum imperfectorum grandem copiam in purissimum Aurum convertenti æquiparem.

parem. Tantas enim Medicinæ meæ vires, quæ in ipsa non sunt, non adscribo, sed tamen dicere etiam non possum, an temporis progressu quid melius ex ea emerfurum non sit. Eum terminum hæctenus non attigi, nec unquam forsan eò progressurus sum. Non est in mea, sed Dei potestate situm, qui id concedere & largiri, cui vult, potest. Interea Deo Patri cœlesti meo gratias maximas ago pro dono illo tanto, quod mihi largitus est, mihi (inquam) non digno, cui Regius iste Infans tam parvus donetut. An verò prorogatum suam gratiam Benignus ille Pater diutius mihi largiturus sit, ut infantem dictum ad virilem ætatem deducam, & ipsi honoris & gloriæ coronam imponam, mihi non constat. Penes ipsum hoc est, qui, quandocunque vult, omnia dare & adimere potest.

Quæcunque hîc literis mandavi, ea omnia puræ putæ Veritati congruunt, nec alium finem respiciunt, quàm gloriam & honorem Dei, ac admirandorum ejusdem Operum patefactionem; postea verò & miseri ac egeni generis humani incolumitatem, & salutem corporalem, ut ita Talentum mihi à Deo concreditum fructus debitos reddens, proximi commodo impendatur.

Porrò Medicinæ suæ Philosophi attribuunt, quod ex omnis generis silicibus variorum colorum lapides pretiosos naturalibus colore quovis respondentes conficere queat. Idem & à meo Auro Potabili requiret forsan aliquis, cui, ut ali-

quoties, ità & hac vice iterum respondeo; Aurum Potabile meum adhuc imperfectum esse, & in infantia sua versari, quod ignis beneficio ad perfectionem deductum forsàn illud idem effectui daturum esset. In eo autem statu, in quo jam versatur, & ad quem à me deductum est, in præsentia constitutum, trium horarum spacio in crucibulo tecto in lapidem pellucidum, sanguinis instar rubentem, & rubino similem mutatur, de quo si frustulum paruum vitro fuso injiciatur, illud viride, flavum, cœruleum, aut etiam nigrum reddit, prout majore vel minore quantitate injicitur, aut diutius in fluxu conservatur. Si hæc nondum fixum, & maturum operatur, quid operaturum sit, si ad perfectam in igne constantiam deductum fuerit, facili conjecturâ unusquisque augurari poterit.

Cæterum nonnullas ex filicibus albis species aliquot horis in igne detentas variis coloribus tingit, ipsumque Sulphur in optimum aurum transmutat, quod verissimum & certissimum, ex omnibus iis, quæ unquam auditu percepi, in summam me admirationem maximè rapit. Quo autem pacto mihi hoc innotuerit, in præsentia indicare operæ precium erit. Imposueram aliquando arenæ aliquot dicti mei Auri Potabilis uncias patellæ, seu porcellanæ, ut vocant, immixtas, ut phlegmate evaporato illud in Salem reducerem. Calore ignis, me absente, nimis aucto, bona liquoris pars ebulliendo patellâ excessit, ac in arenam

nam se effudit. Accedens aliquando, ut inspicerem, ex patella effusum liquorem se in arenam calidam abdidisse deprehendi. Arenæ, quæ quasi in unum corpus cum Auro Potabili coiverat exemptæ, atque vitro immixtæ affudi aquam pluviam, vitrumque arenæ calidæ imposui. Aquam, quæ Salem extraxerat, postea cum arena sale liberata infudi infundibulo, atque ita per filtrum liquorem sale imprægnatum, qui colore & sapore non mutatus, ac pellucidus transivit, ab arena separavi. Hæc autem prius alba, nunc verò colore subrubro vestita summam mihi admirationem movit, quod arenam etiam Aurum illud Potabile tingeret. In cupella vero examini subjecta aurum purum mihi reddidit, id quod majori admiratione me affecit: Admiranda enim est transmutatio, qualis nunquam ad aures meas pervenit. Hinc mihi persuadeo, frustum CrySTALLI aliquod digestionem solâ in hoc Auro Potabili in lapidem pretiosam digeri posse, quamvis ejus rei periculum non fecerim; facturus tamen, si mihi Deus vitam prorogaverit.

Periculo hoc facto, mox conjeci arenam, cui herbas inseveram, & quam meo Auro Potabili madefeceram, plenas auri virtutes, & qualitates herbis insitis non impertivisse, sed potiore partem ad sui emendationem sibi retinuisse, & minimam herbis portionem concessisse. Hæc conjectura me non sefellit, utpote qui, occasione negotium hoc investigandi arreptâ, rem ita se ha-



bere expertus sum. Ea de causa, ut in posterum herbis aureas facultates & virtutes plenius conciliarem, arenam non amplius adhibui, sed in eius locum substitui lignorum ramenta, quibus herbas cœpi inserere. Tam fortibus enim viribus lignum non est præditum, ut, æque ac arena, ex Auro Potabili auream essentiam extrahere queat. Hoc pacto igitur lignum aliquod patrefactum, aut ipsa lignorum ramenta ad opus hoc plantationis aptiora erunt, quam arena ipsa, quæ sibi potissimas Auri Potabilis vires attrahit, iisdem se emendat, & Vegetabilibus reliquas paucas concedit communi hominum more agens, quorum quisque sibi proximus. Nisi casu hoc comperissem, multum commodi arena mihi subtraxisset, Vegetabilibus parum reliquum fecisset, & sibi de potissimâ virtutum parte prospexisset.

Scitu etiam dignum hoc hîc non prætereundum est, quod, mei *Auri Potabilis* adjumento, quæ herbæ nascuntur, eæ omnes majores & robustiores vulgaribus evadant, & colore, sapore, odore ac virtutibus omnibus vulgares longè superent. Ratio est, quia dicta *Medicina Vniuersalis* merus est ignis, Vegetabilibus & herbis igneum suam vigorem impertiens. Nam satis superque notum est, quod, quò calidiores fuerint regiones, eò efficaciores etiam herbas producant. In Belgii regionibus humidioribus herbæ nascentes iis, quas Germania superior sicciore, & calidiore solo & aëre prædita edere solet, nec odore, nec sapore,

sapore, nec viribus respondent. Germania superior autem tantæ efficacæ & magnitudinis herbas non suppeditat, ut Gallia, cujus aër calidior est & siccior, quàm Germaniæ, in qua Rosmarinus ab injuria hyberni temporis ægrè tutus manet, cum tamen in Gallicis desertis crescendo ita luxuriatur, ut etiam in arbores excrescat, ramis suis succedentes contrà pluvias defendere solitas, id quod in frigidioribus nostris regionibus fieri non consuevit. Optimum profectò mel *Marsiliâ*, ubi illud apes ex rosmarini floribus exsugunt, in Germaniam, Belgium, aliasque regiones defertur, ut ex illo optimum mulsum conficiatur, aut eodem alii fructus, & flores conferventur. Mel verò illud, quod in Hollandia, & Frisiâ per humida prata, & campos uliginosos volitantes apes ex floribus colligere solent, odore quidem ferè caret, sed tamen bonitate illi præstat, quod ex graviter olentibus ferarum arborum floribus, aut iis, quæ in sterilibus erycetis reperiuntur, apes colligunt. Ex quibus patet, magno herbarum virtutes discrimine inter se distare, & eos haud parum hallucinari, qui sine omni discrimine cunctas herbas Europæas in eodem censu habentes septentrionalium Regionum, ut Daniæ, Norwegiæ, Sueciæ & Poloniæ herbis easdem virtutes attribuunt, quas Antiqui Medici suis adscripserunt. Faciunt hoc recentiores Galenici, qui humidam suam herbas in frigidis his regionibus viribus suis iis æquipollere asserunt,

de quibus Veteres Medici mentionem fecerunt. Quid autem suis efficiant, & quantos errores committant, experientia testis est.

Avicenna, Averroës, Ægineta, cujus compilator Galenus, non fuerunt Germani, Sueci, Dani, aut Poloni, utpote qui calidas illas inhabitavêre regiones, in quibus solum interdiu & noctu solaribus radiis calefactum, & aureâ proprietate pollens, herbis miras virtutes, & efficaciam admirabilem conciliat. Vehementer igitur errant, qui nostrarum frigidarum regionum herbis easdem vires attribuere audent. Artis autem beneficio fieri potest, ut herbis etiam in frigidissimis nostris terris eadem virtutes impertiantur, quas Arabicis suis authores isti acceptas ferunt. *Vbi Natura desinit, ibi artificibus artis nostræ incipiendum esse*, asserunt omnes Philosophi, *Hermes* cum primis omnium Philosophorum quasi pater, qui clarè & apertè illud in *Tabula sua Smaragdina* testatur, inquit: *Verum sine mendacio certum, & verissimum. Quod est inferius, est sicut quod est superius, & quod est superius, est sicut quod est inferius, ad perpetranda miracula rei unius, &c.*

Ac licet hæc verba diversis explicationibus illustrentur, sensus tamen eorum generalis nihil nisi superiorem, & inferiorem Solem spectant, qui omnia generant, & ad perfectionem deducunt. Superiorem Solem nullâ vi ad nos pertrahere, multoque minus præcipere ipsi possumus, ut nostras terras calidiorum radiorum participes reddat,

reddat, & herbas ipsis innatas iisdem virtutibus impleat, quibus Arabicæ dotatæ sunt. Nos non audit, nos non novit, sed consueto cursu pergens munere fungitur, quod ipsi à Divina potentia impositum est. Si Naturæ dona nobis concessa emendandi desiderio tenemur, *Artem* adæamus, & videamus necesse est, an ipsa *Naturæ imitatrix* nobis opem ferre velit. Id quod facilè præstabit, ut videlicet Europæa nostra terra æquè efficaces herbas edat, ac Arabicum solum, & quidem exiguis sumptibus & laboribus, adè ut meo Auro Potabili sumptuosiore ad eam rem efficiendam non opus sit. Idem enim aqua Sulphurea falsa, & fluida effectui perfectè dabit, cum in Sale & Sulphure solares radii cumulatè concentrati, & coagulati reperiantur. Hic Terrestris est Sol noster, cujus virtute cuncta vegetantur; Quem si Vegetabilibus debito modo aptare sciremus, idem profectò Artis adjumento effecturi essemus, quod Superior & Naturalis Sol naturali suo modo in herbis operatur. Quicumque hæc non intelligit, nec percipit, Philosophis neutiquam annumerandus cæcos ductores sequitur, & alios secum in tenebras præcipites agit. Sol in firmamento cursu suo consueto pergens nec major, nec minor reddi potest. Inferiorem Solem in manibus nostris habemus, eumque pro lubitu nostro, & quidem eâ copiâ, quâ volumus, herbis nostris accommodare possumus. Hinc *Ars Naturam longè superat*, & hanc ejus ope superare nobis

bis

bis integrum est, si ipsam habemus, & eadem uti novimus. Sed dissertatio hæc mea, præter opinionem meam, longius se extendit, &, ut eadem acquiescam, aurem mihi vellicat. *Sapientibus sat dictum* esse arbitror. Asini aures longæ, multâ verborum ambage, breviores non redduntur, nec indefinente lotione *Æthiops non dealbatur*; quod per Parenthesin indicare & volui, & debui.

Veruntamen ut clarius, & magis perspicuè cuncta proponam, quo unusquisque videat & perspiciat, me puram putam Veritatem ob oculos posuisse, adhuc nonnulla in medium afferenda censeo, si quem de his periculum faciendi lubido inceserit, ut veritatem reipsâ experiri queat. Aurum Potabile meum in rubrum Salem coagula, ejusque grana 3.4.5.6.8.12. aut plura vel pauciora vitri Crystallini urciæ dimidiæ in crucibulo fusæ injice, ut in superficie jacentia fundantur; Hoc factò vitrum mox Tincturam attrahet, coloremque hyacinthinum induet, adè pulchrum, ut Hyacinthi naturalis colori minimè cessurus sit. NB Si diutiore igne fusio urgeatur, vitrum aureo, viridi, cœruleo, ac tandem, si nimis diu in igne relinquatur, nigro colore tingetur. Qui Rubinum conficere desiderat, Aurum Potabile coagulatum solum sine ullius rei peregrinæ additione puro & tecto crucibulo immitendo, & per horas aliquot in fusione relinquendo, sanguinei coloris vitrum adè pulchrum consequetur, ut vel solo aspectu hominis alicujus

cujus curarum, molestiarum, & laborum multitudine debilitatam naturam recreare possit.

Quo animo sit ille, qui post plurimos labores frustra exhaustos, ac maximam Divinæ Benedictionis expectationem, tandem aliquando oculis suis aspicit, quod fieri illud possit, quod tam incredibili desiderio tamdiu quæsit, facile quivis conjecturâ suâ providere potest. Proculdubio *Mosen* Promissæ Terræ, quam tamen non intravit, conspectus ineffabili gaudio affecit. Quanto gaudio exultavit pius ille senex *Simeon*, cum Divino Instinctu templum ingressus infantem **JESUM** ulnis complexus, est, & dixit, *Domine! jam servum tuum in pace dimitte; Nam oculi mei Servatorem tuum viderunt.* Neminem in malam partem interpretaturum spero, quod hac comparatione utar. Infans enim meus lutum est, & cœnum: Ille verò in *Simeonis* ulnis cœli ac terræ Dominus. Quemadmodum verò infans **JESUS**, cum parvus adhuc esset, nondum loqui, & concionari poterat, nec miracula edebat, sed aliis infantibus externo aspectu similis erat, nec quicquam adhuc videbat, qualis & quis futurus esset, donec ad virilem ætatem perveniens infans in infantia sua non mansit, verum maxima miracula edidit. Idque idè quia Divina Essentia ab æterno in ipso occulta temporis progressu in ipso manifestata est. Cui enim ex semine aliquo manifestatur, quos colores, & quam figuram planta ex ipso emersura habitura sit? Nascens debito modo

modo enutrita tandem patefacit, quæ prius occulta in se continuit.

Pari ratione verum *Ens Primum Auri* in meo Auro Potabili occultum oculis non conspicitur, multò minus, quid Ars ex eo paratura sit; aut parare queat, priusquam ignis opera constantem suam fixationem, aut fixationem, ut Chymici loquuntur, consequutum fuerit. Expectandum igitur patienter, donec hic infans adolescat, & ad virilem ætatem perveniens, viriles actiones edat. Quis unquam crederet, in ovo aliquo totam avis essentiam cum omnibus membris, plumis, & reliquis ad eam pertinentibus, occultam latitare, nisi res vulgo notissima extaret? Vini mustum, si ejus nimia copia exhauriatur, stomacho nocet, eum debilitat, & colicos dolores excitat; Idem, postquam vinum clarum & forte evasit, stomachum, & totum corpus corroborat, & eas demum vires exferit, quas, cum mustum esset, occultas gessit. Cui Vegetabile semen, Animale ovum, aut Minerale Primum Ens innotuit, ille demum novit, quod ex femine herba, ex ovo avis, & ex Primo Ente Mineralium *Medicina Universalis* oriri debeat. Cujus autem captum hæc superant, ut abjectum semen, ovum, & *Primum Ens Mineralium*, Salem videlicet Sulphureum, contemnat, ille etiam inscius occultam herbam, avem, & Medicinam Universalem repudiat. Ideò nemo contemnere debet ea, quorum cognitio ipsum fugit. Ut res probè percipiatur,

piatur, primum Ens Auri veram Medicinam Universalem occultit, quam *Tempus, Ars, & Natura* realiter in lucem producant. Ideò non est, cur aliquis Aurum meum Potabile susque deque habeat, aut contemptui ducat, quod adhuc in infantia sua versetur, ac vulgari alicui aquæ falsæ similis sit; sed potius cogitet, quod albi ovi instar, vitellum suum temporis progressu pulcherrimam avem progeniturum, in internis suis penetralibus occultum contineat.

Sed hæc de mei Auri Potabilis natura, & proprietatibus dicta sufficiant. Medicinalis ejus Usus inter præcipua mea medicamenta luculenter descriptus, propediem typis vulgandus lucem videbit. Quicumque verò illud intereà in usum adhibere desiderat, tutò & sine omni periculo illud facere poterit, cum nihil nisi ea, quæ corporis humani bonæ valetudini conducunt, operetur, debile nimirum Humidum Radicale, seu Spiritum Vitalem corroborando, & confirmando, ut hominis vita alatur, augeatur, & multos annos in optatæ valetudinis statu conservetur, perinde ac olei affusione lampas, aut lignorum appositione ignis vigor conservatur, ut nec extinguatur, nec mori queat. Cautè tamen & cum judicio ejus Usus admittendus est, eo quod purus ignis existens modicè vult adhiberi. Ab initio una aut duæ guttulæ in vino, cerevisiâ, alioque potu, commodissimè verò in Spiritu Vini ægro propinandæ sunt: sequente die guttula



tula una addenda, ac deinceps unius guttulæ additione singulis diebus dosis augenda est, donec sudoris & urinæ expulsionem, ac quandoque etiam leues aliquot sedes operetur. Hac operatione factâ, eodem planè modo unius guttulæ omissione doses quotidianæ iterum diminuendæ sunt, donec ægritudo feliciter sublata ulteriore ejus usu ægrum supersedere jubeat. Cunctis ritè peractis manifesto innotescet, quasvis ægritudines, etiam occultas hoc medicamento expelli, & quasi consumi, sicut lignum ab ardente igne consumitur, ità ut præter fixum Salmem nihil omninò remaneat, & cuncta in nihilum redigantur. Omnes enim morbi, ut suprâ indicavimus, ex humoribus humidis ortum trahunt, quibus nihil est, quod commodius & tutius medeatur, quam Aurum hoc Potabile, quod omnibus humiditatibus nimis vehementer resistit, easdem aperiendo, incidendo, consumendo & dispellendo, haud secus ac Sol aquam in vase aliquo consumit, & evaporando dispellit. Hinc *Lepram, Morbum Gallicum, Quartanam*, & omnes alias Febres, *Scorbutum, Epilepsiam, Apoplexiam, Melancholiam Hypochondriacam, Calculum in renibus, & vesicâ, Podagram*, omnesque tam notos, quàm ignotos *Matricis morbos*, & Mulierum varias ægritudines, ut & horrendam *Pestem*, cum omnibus affectibus malis ex ea ortis curatione sua tollit, & præsertatione suâ avertit. Nihil enim corruptioni, & interitui obnoxium depre-

hendi-

henditur, quàm nimium Phlegma, sive immatura humiditas, quæ citissime in putrefactionem abire solet. Hinc dilucidè patet, quod sanguineus aliquis sicciore temperamento præditus longe meliore fruatur valetudine, quam humiditate abundans Phlegmaticus. Saccharum siccum multos annos durat; humectatum verò acescit, & mucidum evadit, licet Sal sit, & aliis Vegetabilibus corruptibilibus misceatur, ut eadem conservet.

Hinc videre est, quod superflua humiditas morti januam aperiat, per quam vitam adoriatur. Calida & temperata siccitas autem è contrario cuncta in statu incolumi conservat, & cuivis corruptioni aditum occludit. Pulchræ, & eleganti structurâ superbientis domus tectum hinc inde pervium & rimarum plenum pluviam admittit totam structuram ubique humectantem, & putredine corrumpentem; Si vero tecti foramina obturantur, aut fenestræ, per quas pluviae aditus patuit, occluduntur, ac è contrario aliæ aperiuntur, ut per eas admissus calidus aër ubique conceptam humiditatem exsiccat, & putredinis progressum inhibeat, totum ædificium sartum tectum conservatur, quod alias in putredinem abiens corrumperetur. Homines in uliginosis, & paludosis locis habitantes, & aquoso cibo ac potu victitantes Phlegmatico, & minus sano fruuntur plærunque temperamento, catharris ut plurimum & scorbuto

E

buto

buto divexati. E contrario illi, qui alta, & excelsa loca, sicciore & puriore aëre gaudentia, incolunt, ac cibis valetudini magis conducen-  
tibus vescuntur, aquosas illas ægritudines ne-  
sciunt, robustis corporibus florent, ac carnem  
duram, densam, & optimè constitutam habent.  
Discrimen hoc non in hominibus solis, sed &  
in omnibus aliis rebus animadvertitur. Etenim  
non modo panis, caro, fructus, & quæ alia ejus-  
modi ad quotidianum cibum adhibentur, mul-  
tò citius in humidis locis mucescunt, & corru-  
ptionem subeunt, verum etiam metalla ipsa,  
ut ferrum, cuprum, stannum, & similia humidi  
aëris corruptionem non effugiunt, sed rubigine  
obducuntur, quam in aëre sicco non ità facile  
contrahunt. Ex his omnibus, superfluam humi-  
ditatem omnibus rebus semper noxiam corru-  
ptioni fenestram aperire, adèò clarè liquet, ut ne-  
minem fore credam, qui contrarium quid oppo-  
nere sit ausurus.

Quandoquidem igitur hoc meum Aurum Po-  
tabile inter omnia medicamenta, quocunque  
etiam titulo insigniantur, in corruptionibus tol-  
lendis maximè excellit, & tam in præsertione,  
quàm curatione quàm tutissimè adhiberi potest;  
Jure ac meritò etiam *Vniversalis Medicina*, cui  
nulla alia præponenda, haberi, & æstimari  
debet.

Hæc pauca de mei Auri Potabilis usu, effica-  
cia, & virtutibus in Vegetabilium, Animalium,  
& Mi-

& Mineralium curatione hîc describere volui. Plura in descriptione usus meorum præcipuorum Medicamentorum proximè sequentur.

Restat, ut de dicti mei Auri Potabilis præparatione paucis mentionem faciam, licet jam sæpius in plurimis scriptorum meorum locis id fecerim, & dilucidè admodum eam monstraverim; Philosophico tamen more, nullo *Recipe* posito expressè, sed hinc inde particulatim, ut in *Miraculo Mundi*, ejusdemque *Expositione*, & *Continuatione*, ubi breviter descripta est, ut ideò ulteriore illustratione non egeret. Cunctis tamen abunde satisfacturus loco auctarii unumquemque moneo, ne opinetur, subjectam hoc alicunde ex peregrinis & longè remotis locis multorum sumptuum & impensarum adjumento petendum esse. Etenim materia, ex qua meum Aurum Potabile paratur, ubique locorum, & quidem pauperrimo æquè ac ditissimo ferè gratis, & sine sumptibus se offert, tridui spacio ad perfectionem deducendam. Ad eam dico perfectionem, ut rectè mens mea percipiatur, ad perfectionem (inquam) eam, quam infantia ejus requirit, ut nimirum *Lac Virginis*, aut clara Aqua Universalis & Medicinalis evadat, quam ego *Aurum Potabile* nuncupo, & in qua *Draconis sanguis* preciosissimus absconditus latitat, certi & definiti temporis spacio per fixationem in constantem *Salamandrum* trans-

mutandus ; id quod hætenus nondum consequutus sum , ac ideò verbis pluribus uti superfedeo , in meo Auro Potabili acquiescens , de quo multoties operâ meâ parato hîc ago , & de maioris momenti rebus plura verba facere desino . Intereâ nullum mihi dubium est , si tempus & labor impendatur , quod hoc Aurum Potabile tam siccâ quàm humidâ viâ fixationis & constantiæ suæ terminum consequuturum esset . Præterea inficias neutiquam eo , quod idem Aurum Potabile ex omnibus totius mundi rebus confici queat , ex uno tamen Subjecto facilius & citius , quàm altero . *Nullus infans tam pauper nascitur , qui non necessario illo Subjecto fruatur , & sine ipso vitali aura vesci queat .* Ideò Veterum Philosophorum nonnulli scripserunt , *Adamum & Evam in Paradyso eandem Materiam habuisse* , cum tamen vestibus induti non fuerint , ut ex Sacris colligitur , sed arborum foliis verenda sua texerint , postquam Dei vocem audivissent , & se nudos esse comperissent : Extrâ Paradysum enim ex animalium pellibus Deus ipsis demum vestes paravit .

Cum senex Eremita *Morienus* de *Vniuersali Subjecto* cum Rege *Calid* fermocinaretur , & hic ejusdem detectionem ab illo postularet , ille respondit : *Tu ipse , ô Rex , Subjectum illud penes te habes .* Absoluto opere vasi , quod Lapidem continebat , hæc verba inscripsit : *Qui omnia secum portat , alieno auxilio non indiget ;* quibus significabat ,

cabat, quod ubique iterum *Materiam Universalem* consequi posset, nec ullius hominis auxilio ad ejus acquisitionem indigeret. *Maria* Prophetissa Mosis soror *Trium horarum Opus* nominat; alius *Philosophicum septem dierum Opus* appellat. Ego Glauberus novitius Hermetis discipulus verissimè assero, quod hoc meum Aurum Potabile, de quo in hoc scripto agitur, non solum Trium dierum, sed & *trium horarum intervallo* perfici queat, & quidem ex ejusmodi subjectis, quæ ubique reperiuntur, & quibus nemini ignotis unusquisque utitur, & in vivendo carere nequit. Puram putam veritatem indico nullis similitudinum, aut verborum tectorum involucris absconditam. Imò ne quis autumat, quod hæc mea scripta non secundum literam intelligenda sensui tecto cuncta involvant, tertiâ vice affirmo, quod Aurum Potabile, de quo scripsi, ex quovis Vegetabili, Animali, & Minerali, sed tamen ex uno citius, & facilius, quàm altero, parari possit. Quamvis enim ex quovis ligni, panis, aut carnis frusto, & straminis, foliorum, aut graminis manipulo parare cuivis integrum sit, facilius tamen ex Salis, omnium Vegetabilium & Animalium quasi centri concentrati manipulo parabitur, id quod tanquam veritatem infallibilem toti Mundo relinquo. Rectè tamen quis me intelligat velim, qualis Salis hîc indicium faciam; nullius nimirum aliis, quàm illius, qui in omnibus rebus invenitur.

E 3

Ut

Ut adhuc longè clarius & apertius meorum verborum sensus patefiat, parvam sed fundamentalem dissertationem subjungam. Artis studioso alicujus boni consequendi cupiditate ardenti non sufficit hujus aut illius Philosophi lectio, ex qua nuda sibi mox persuadeat, quod illicò Artem clarè & dilucide traditam deprehensus sit: Sed accuratè meditari ipse debet, quid illud sit, quod quærit, unde originem suam traxerit, & quo pacto, aut quâ viâ id sibi consequi liceat. Nam si ab ultimis, & extimis oris usque ad intima penetralia res cunctas investigaverimus; comperiemus, Deum solum & unum fuisse ab æterno, usque ad illum terminum, quo ipsi placuit visibilia ad gloriam & delectationem suam creare. Hoc facturus dixit: *Fiat*. Ut primum hoc *Fiat* à Deo pronunciatum est, se incipit movere, & in quatuor Elementa mutare, ex quibus Elementis postea emerferunt cuncta, quæ oculis cerni possunt, & sine quatuor Elementis nec esse nec consistere queunt, sine quibus & natura ex se ipsâ prodire nescit. Si verò quid purius & melius iis, quæ ab Elementis generantur, quis acquirere conaretur, *Ars* ipsi adeunda esset, quæ *Naturam superans* eo tendit, quo pervenire Naturæ non datur, & operationem suam inde ordiri debet, ubi Natura ulterius pergere nescia suam finivit. Tunc enim acquiritur *Quinta Essentia*, quæ gradu uno Naturam superans ab Arte  
ulte-

ulterius promoveri nequit. Si verò ipsâ Essentiâ Quintâ melius aut majus quid aliquis consequi cuperet, aliâ viâ procedendum esset, siquidem arti, sicut diximus, ultrâ Quintam Essentiam progressus ulterior non datur. Ideò necessitas postulat, ut ad *Centrum* redeatur, ex quo Elementa ortum suum trahunt. *Centrum* hoc est Divinum illud *Fiat*, seu *Sal Vniversalis Hermaproditicus*, naturæ utriusque particeps, qui, verum *Primum Mobile*, in se occulta continet duo contraria, quæ in se invicem agentia, tria *Principia trium Regnorum*, *Vegetabilis*, *Animalis*, & *Mineralis* pariunt, & per quatuor Elementa eadem nutriunt, & multiplicant, quem cursum communem Natura sequitur. Ars verò longè ulterius progreditur, *Circumferentiam* ad *Centrum* reducit, ac illi *Centro* seu *Primo Mobili* non permittit, ut duobus illis contrariis in se mutuò agentibus *Patiens* ab *Agente* vincatur, & in tria ista Regna, Vegetabile nimirum, Animale, & Minerale tanquam *Circumferentias* suas transeat; sed primum illud Mobile vincit, ac compescit, ut vires suas non dividat, & largo ambitu explicet, verum quasi in se deglutiat. Perinde ac si *Draco* propriam suam caudam venenatam sibi ipsi morfu aufert, & eodem se nutrit, quando alius cibus ipsi non suppetit, atque hoc pacto summa Medicina evadit. Ideo sapientissimè Hermes, *Draco noster*, inquit, *non moritur nisi per F. & S.*



Neceſſe eſt, ut unus ignis alterum vincat, & in nobiliorem eſſentiam tranſmutet. Talis ignis eſt Arcanum meum *Alkaheſt*, ſive *Aurum Potabile verum*, quo admiranda effici poſſunt. Aqua eſt pellucida, & clara, in qua ignis color, & forma latitat, & intrò verſa eſt. Facili autem negotio, & celeriter iſte ignis internus manifeſtatur, & in conſpectum oculorum, igne duplici, ſicco nimirum, aut humido, educitur. Siccus modus vulgarium ligni carbonum calore, & igne perficitur. Ad humidum modum adhibendus eſt Spiritus Vini probè rectificatus, & omni ſuo phlegmate liberatus. *℞.* Ignis ſicci & concentrati  $\zeta j.$  eam impone  $\zeta iij.$  humidi ignis, ſive Spiritus Vini, qui, ut humidus ignis, ſiccum mox deglutiet. Uterque aliquot horas in phiola longum collum habente, ignis calore debito digeſtus, ſanguineum colorem induet, concentratas vires cum coloribus pulchris, ac jucundo ſapore, & odore, quibus cor corroborantibus, omnes alias Aromaticas Eſſentias cordis corroborationi inſervientes, longè antecellit, manifeſtabit, & oculis ſubjiciet. Nam quæ antea intrò conuerſa, ac in imis penetralibus concluſa fuerunt, ea omnia foràs eliciuntur, ac viſibilia redduntur, inque ſenſus externos incurrunt. Hoc pacto abjectus & parvus infans, qui albo colore veſtitus eſt, eloquens, fortis, & prudens vir evadit, ipſumque *Lac Virginis in Draconis*

nis

*nis sanguinem efficacissimum mutatur. Verissima hæc est Aqua Vita, & verissimum Vinum Salutis, cujus aliquot guttulæ saltem quotidie in usum adhibitæ, valetudinem bonam conservant, & longam vitam largiuntur. Hujus Aquæ Vitæ, ut & veri mei Auri Potabilis sæpius dicti admirandam & celerrimam in Medicina, & imprimis in imperfectiorum metallorum transmutatione operationem, & efficaciam multi homines honesti apud me oculis suis aspererunt.*

Si cui igitur gravibus morbis divexato, & nullum auxilium in vulgaribus, & notis illis Medicamentis Galenicis inveniendi hujus mei Auri Potabilis adjumento opus foret, ejus tantum, quantum ad recuperandam pristinam valetudinem requiretur, ex Christiana dilectione lubens ipsi largiar, idque propterea eò lubentius, ut his temporibus ultimis, in quibus omnis malitiæ & omnium scelerum sentina verissima mundus hic perversissimus evasit, admiranda Divinæ Potentiæ miracula innotescant, & osoribus hujus nobilissimæ artis, qui ex mera invidia, & ignorantia Philosophos veros contemnunt, & mendaciorum ac fallaciarum accusant, impudica ora obturentur. Nullum mihi dubium est, haud paucos repertum iri, qui in Auro Potabili conficiendo vestigiis meis insistent, & illud temporis progressu ad majorem perfectionem deducere

conabuntur, quibus ego felicem successum non invideo, si Deus tanto dono ipsos dignatus fuerit. Plura iis, quæ hinc inde in scriptis meis de hoc Auro Potabili abscondidi, nemo ex me expiscabitur. Unicuique sufficiat, quod Medicinam paratam apud me invenire possit, quod ex centum vix unus facturus esset, si ejusdem possessor esset. Causas, quæ me impulerunt, ut publico scripto eam divulgaverim, & ægris consolandis ac restituendis obtulerim, suprâ jam satis prolixè indicavi.

Conclusionis igitur loco iterum firmiter assero, omnia ea verissima esse, quæ de hâc meâ Medicinâ, & de viribus ejus, quas in Vegetabilium, Animalium, & Mineralium emendatione exerit, hoc meo scripto prodidi. Nemo autem eo audaciæ procedat, ut ea contemnat, aut tanquam vana, & impossibilia repudiet. Periculum pro lubitu facere unicuique integrum est. Medicina parata, quamdiu vixero, in promptu semper apud me erit. Eam nemini denegabo; Imo & usum ejusdem æquè in emendandis Vegetabilibus & Animalibus ac ipsis Mineralibus nonnullis amicis ad oculum demonstrabo, ut Dei miracula & Artis possibilitas manifestentur, & in apertum veniant.

Deus Omnipotens, omnium rerum Principium, & Finis calefacientem scintillam suæ sanctæ,

sanctæ, æternæ, infinitæ, & omnia corrigentis  
Lucis nobis in nostra frigida, & tenebris op-  
pleta corda ex mera sua gratia, & misericordia  
inferat, ut in eo tanquam in salsa & sulphurea  
aliqua terra, instar seminis alicujus parvi, nu-  
triat, augeatur, & in animarum nostrum  
omnium salutem millecuplos fructus producat:  
A M E N.



A D.

ADMONITIO

AD

LECTOREM.

**V**T Benevolus Lector opusculi hujus sensum accuratius assequatur, & contenta ejus melius percipiat, brevi anacephalæosi ejus argumentum repetitum hîc subjungere operæ pretium duxi.

Totius autem rei cardo in eo versatur & consistit, quo pacto videlicet ex Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus, quæ ubique reperiuntur, Medicina Universalis negotio admodum facili paretur, & quod eadem idè Universalis nuncupetur, quod trium Regnorum, Vegetabilis puta, Animalis, & Mineralis defectibus & aegritudinibus medeatur. Et enim cuncta Vegetabilia hujus Medicinæ adjuvamento multò celerius & efficacius crescunt, ac multò suaviorem odorem ac saporem nanciscuntur, quam illa, quæ vulgari pecudum fimo stercoreantur. Pari ratione in maribus & fæminis fertilitas Animalis augetur, humidum radicale corroboratur, & omnes totius corporis obstructions reserantur, & auferuntur. In Minerali Regno efficacissimum est remedium imperfectorum Metallorum, dum ea emen-

## ADMONITIO AD LECTOREM.

*emendat, Mercurium Vivum in perfectum Aurum transmutat, & silices, crystallos, ac vitra crystallina in pulchros rubinos, & hyacinthos, colore sed non duritie naturalibus similes, tingendo transmutat. Hæ virtutes commemoratæ omnes in dicta Medicina Universalis, seu Auro Potabili perfecte inveniuntur, ob quas etiam jure ac merito Universalis Medicina nominari debet. Hæc Admirandorum Divinorum, & bonæ, salutarisque Medicinæ studiosos celare nec volui, nec debui.*

F I N I S.

